



27

5/1
122
8955

June

BERNHARDI VARENII

Med. D.

DESCRIPTIO

Regni Japoniae

ET

SIAM.

Item

De Japoniorum Religione & Siamensium.

De Diversis omnium Gentium Religionibus.

Quibus, præmissâ Dissertatione de variis Re-
rum publicarum generibus, adduntur quæ-
dam de Priscorum Afrorum fide excerpta
ex Leone Africano.

Mgr. de Beauvau arch.
Narbonne



CANTABRIGIA,
Ex Officina Joh. Heyse, celeberrimæ Academiæ Ty-
pographi. 1673.
Impensis Samuellis Simplicis Bibliopolæ Cantab.

Serenissima ac Potentissima Principi

CHRISTINÆ DEI GRATIA, Sue-
corum, Gothorum ac Vandalorum Reginæ, Magni Du-
catus Finnoniæ Principi, Esthoniæ & Careliæ Duci,
Dominæ Ingriæ, &c. Dominæ meæ Clementissimæ.

SERENISSIMA REGINA.

 A est illustrium Virtutum, tam earum que
mentem atque intellectum exornant, quam
qua voluntatem & appetitum regunt, indo-
les, ut pulcherrimis factis atque operibus
brevi tempore omnium in se oculos, amorem atque ad-
mirationem, etiam in remotissimis regionibus convertant.
Hoc eo magis, si tales contingat illo existere tempore,
quo paucissimi Virtutis iter ingrediuntur, sed aliis stu-
diis minus decentibus plurimi occupantur. Praclarum
hujus rei exemplum præbent V. Majestatis divinae inge-
nii dotes atque virtutes, quæ tanquam præfulgentes So-
lis radii omnium quibus Virtus placet, oculos dudum fe-
riunt. Inprimis autem eximia V. Majestatis eruditio,
favorque in omnes literatos atque liberalium artium cul-
tores omnibus jam innotuit, ita ut tota doctorum schola
hoc nomine non sine causa gaudeat atque V. Majestatis
virtutes, suspiciat, hoc præsertim tempore, quo adeo pau-
ci reperiuntur eruditorum Mæcenates, ut vere cum Vir-
gilio dicere possimus:

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Norunt jam satis superque docti Viri, V. Majestatem
à primis adolescentia annis magno liberalium artium a-
more flagrasse, in libris magnam dierum partem basisse
ac habitasse, memoriam atque igneum illud ingenium ex-
ercitii lima diligenter excoluisse.

Unde fit, ut nemo glorioſſimi atque Invictissimi Patris
G U S T AVI ADO L P H I p. m. fortitudinem,
prudentiam aliasque dotes, admiretur, qui non V. Maje-
statis

DEDICATIO.

statis insignibus Virtutibus exornatum pictus prædicet atque laudibus evehat. Neque immerito subditi tui sapientissimum divini Platoni dictum animo sibi proponent, qui tum demum felices fore Respublicas censuit, si aut Philosophi regnarent aut qui ad Reipubl. gubernaculum sedent, Philosophia operam darent. Hec causa fuit, ut cum hunc Tractatum publici juris facerem, atque pro recepta consuetudine circumspicerem, cuius nomini illum inscriberem, statim V. Majestatis amor erga literarum studia atque omnem eruditionem mihi occurrerit. Itaque quo meam erga admirabiles V. Majestatis Virtutes observantiam & reverentiam ostenderem, libellum hunc ei dedicare volui; Quem ut V. Majestas serena fronte tanquam testem animi mei recipiat, etiam atque etiam rogo, & cum hocce omnia mea studia offero. Scribebam Amstelod, Cal. Augusti. An. CIC XCIX.

V. MAJESTATIS

Devotissimus Cultor

BERNHARD. VARENIUS.

Magnificis,

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, atque Prudentissimis, Viris,

D N N. CONSULBUS
ET SENATORIBUS
REIP. Hamburgensis,

D N N. ac Fautoribus meis honorandis, salutem
& observantiam.

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, atque
CONSULTISSIMI VIRI,

VO D diversorum Regnorum atque Rerum-publicarum Descriptiones magnum præbeant tam in formanda quam regenda Societate unum, præstantissimi quique Politici consentiunt. Etsi enim etiam propter jucunditatem & animi recreationem à multis legantur, tamen insignis illa, quam dixi, utilitas præcipue studium hoc commendat. Adeo hic verum est illud Terentianum: Periculum ex aliis facere, tibi quod ea usu siet, cautum est. Huic autem parti Politice magna est cum Geographia consuetudo & familiaritas. Etenim qui terrarum topographias, situm atque connexum ignorant, illi regnorum descriptiones neque apte & jucunde describere, neque descriptas faciliter apprehendere possunt: Et qui regionum tantum situm proponunt sine gentium conditione, illi plerunque somnolentos reddunt auditores vel lectores: Hæc causa est, quod Mathematici, ubi in Geographia occupati sunt in regionum situ terminisque explicandis, multa soleant adjungere de populorum ritibus & Republica. Ego quoque, qui hactenus magnam temporis partem Mathematico studio tribui, cum aliquando de Regno Japoniæ tractarem, inveni apud diversos Scriptores multa de eo annotata. Quæ cum colligerem, animadvertis, à nemine hactenus

illud regnum integre descriptum esse. Itaque ea in ordinem redigere atque in certa capitula distribuere, ut in lucem darem, incepi. Vestro autem Nomi니 hoc opusculum dedicare volui non tantum eam ob causam, quod Vos omnis eruditioнis Moeценates esse cognoverim, sed ideo praeципue, quod in Vestro Gymnasio prima Philosophia, in primis Matheсis atque Physica fundamenta jecerim. Itaque aequum existimavi, ut meam erga Vos gratitudinem testarer hoc libello, qui primus ex meis scriptis prodit, post se trahens alia non pauca. Accipite itaque VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, serena fronte primum hunc meorum studiorum fructum, atque eo, quo erga omnes liberalium artium cultores uti consuevistis favore, me quoque dignum judicete. Valete. Dabam Amstelodami Calendis Julii, Anno M DC XLIX.

Vestra Amplitud.

Addictissimus

BERNHARDUS VARENIUS,

Medic. Doctor.

P R A E-



P R A E F A T I O

Ad Lectorem.

 Mice Lector, Cum omnes fere Republicas, quibus populi totius terrae inter se distincti sunt, excepta sola Japonia, descriptas latino sermone esse scirem, & forte continua & diutina Mathematicarum rerum contemplatione (cujus fructus jam praeium exspectant) defatigatus essem, constitui ingenio meo quietem aliquam concedere a severioribus illis studiis, quae dici vix potest quantopere hominis mentem & cogitationes a rebus civilibus abstrahant. Etenim quae in Conica, difficillima totius Matheсis parte speculatoris fueram, ea typographi excudere abnuebant, propterea quod ea studia paucissimorum hominum esse dicerent, atque ideo pauca valde exemplaria & non nisi multis annis divendi, ita ut tantum non lucrum ex illis facere possint, sed ne quidem expensas & sumptus in impressionem faciendos recipere. Faciliora itaque & quae ab omnibus latinae linguae peritis intelligi possent, scribenda esse cum statuisse venit mihi in mentem Japonici Regni, quod solum ex omnibus Regnis latino sermone nondum explicatum esse deprehenderam, et si multa commemoratione digna in diversis Scriptoribus partim Belgis, partim Lusitanis de eo legeram. Operae itaque pretium me facturum putavi, si illa, quae de eo legi, colligerem, in ordinem & certa capita distribuerem, obscura illustrarem, tandemque publici juris facerem. Addiderunt mihi stimulum Viri quidam docti, qui cum Belgica quaedam collectanea de eo regno apud me vidissent, & me de latina Descriptione

ptione cogitare cognoscerent; magnopere fortati sunt ut propositum hoc meum perficerem. Verum enim vero vix ea rudi forma elaboraveram & disposueram, cum Aesculapius, cuius sacris dudum initiatus fui, intervenit, atq; ut sepositis aliis literarum studiis Medicinæ exercenda me totum tradam Medicamque scientificam artem acius excolam jubet. Etenim huic arti, dum in Academiis versarer, soli fere me dabam & curriculum Medici studii absolvebam: sed cum non sine magnis sumptibus praxin ubi nulla occasio est, suscipi posse considerarem, propterea quod omnia fere loca Medicis abundant, ideo putavi me rectius facturum, si primo in Philosophia & in primis Mathesi fortunam experirer, quandoquidem tantum temporis in illam impendi & labores exantlavi, ut ex illa omnino mihi fructum aliquem promittere deberem. Sed dum in hoc totus sum, praeter meam exspectationem & de qua nunquam cogitaveram, offertur mihi occasio medicinæ facienda, quæ quanvis tenue largiatur annum æs, tamen talis est, ut & exercitio Medico amplum campum præbeat, & industriam meam atque artem aliis probare possit atque ea ratione ad lautiorem conditionem promovere. Ideo, re in utramque partem expensa, occasionem hanc nequaquam negligendam censui, amicis idem suadentibus. Accedit, quod ingenium meum magis afficitur & trahitur Physicæ studio & naturæ contemplatione, quam cum mihi in toto studio tanquam metu proposuerim, gaudebam, quod hac occasione posthac illi disciplinæ me totam tradere possem. Etenim Medica ars ita conjuncta est Physicæ, ut altera sine alterius ope claudicet. Cum itaque Mathesis, Physica, & Medicina tot tantisque difficultatibus scateant, ut vel unaquæque earum totum hominem postulet, hoc mecum reputans, judicavi optime me facturum, si aliis studiis validicerem, neque posthac ex aliis, quam tribus illis quas nominavi eruditiois speciebus, laudem gloriamque honestam quererem. Quod ut absque aliorum admitione vel interpellatione præstare possem, illa quæ fere absolveram,

perf-

perficere & mea potestate emissâ publici juris facere decrevi, nimirum Descriptionem hanc Japoniæ, item de Religione in illo regno, præterea Tabulas Historiæ Universalis. Accipe igitur benevolo animo, amice Lector, hanc Descriptionem, atque ubi reliquos duos libros etiam acceperis, tunc præter Mathematica, Physica & Medica in alio nullo argumento à me quicquam expecta. Vale.

Autores & Scriptores, ex quibus hæc desumpta sunt.

1. *Maffei Historia rerum Indicarum.*
2. *Selectæ Epistolaæ ex India missæ*, ab eodem Maffeo editæ.
3. *Epistolæ Xaverii à Tursellino editæ.*
4. *Vita Xaverii ab eodem Tursellino descripta.*
5. *M. Paulus Venetus.*
6. *Descriptio Belgica Regni Japonici per Francois Caron, Hollandam. Hic puer adhuc delatus in Japoniam, cum esset castriophylax navi (Kocksjung) & sapienter culpam à navarcho verberribus multaretur, abdidit se ubi jam cum navi erat abeundum. Deinde informatus Procuratorum Belgicorum inibi degentium beneficio in legendo, & scribendo, supputando, hæc feliciter apprehendit, & insuper Japonicam linguam perdidicit ita ut promptè illâ uteretur, quod ante eum nullus Belga potuerat. Hanc ob causam ad majora mercimonii munera paululum adhibitus tandem factus est Director mercaturæ in Japonia nomine Belgarum, & membrum Senatus Indici, qui nomine Belgarum Fæderorum in India institutus est, & dicitur De Raet van Indien.*
7. *Notæ Hageneri Belgici in Caronium, qui etiam in Japonia diu vixit.*
8. *Descriptio Persecutionis per Rejerum Gisbert, Belgica, qui illo tempore inibi commoratus est.*
9. *Descriptio navigationis Oliverii circa totam tellurem Belgica.*
10. *Descriptio navigationis Duce sive Ammiralio Matelief, Belgica.*
11. *Itinerarium Linschotenii.*
Xaverius in epist. p. 149. commemorat Descriptionem Japoniæ & morum illius gentis à Paulo Japonensi summae religionis ac fidei viro factam. Sed illa, quantum cognoscere potui, edita non est. Idem Xaverius p. 126 refert, se misse Societate Romana commentarios diligentes scriptos de terræ Descriptione, gentisque moribus à quodam mercatore Lusitano. Sed nec illi editi, sunt; puto autem Romæ eos adhuc asseverari, & delitescere in aliqua bibliotheca Jesuitarum. Grammatica quoque lingua Japonica à Jesuitis edita est, in qua multa de regni statu contineri à Clarissimo Viro Domino Golio accepi: Sed eam videre non licuit, Lexicon quidem Japonicum Lusitano & latino idiomati respondens ab eodem mihi monstratum est, verum in hoc nulla historie neque quicquam degentis moribus erat.

T I T U

T I T U L I C A P I T U M.

L I B R I I.

	p. I:
Cap. I. De situ Japoniæ, &c.	5
II. De Japoniæ proprietatibus, &c.	9
III. De Origine incolarum Japoniæ	11
IV. De Dairo, hereditario Domino	15
V. Historia de cæde Cubi.	18
VI. De stirpe hodiernorum Cæsarum	21
VII. De Regiminis forma	24
VIII. De Cæsaris aula & arce fœdo.	26
IX. De Magnificentia Cæsaris.	29
X. De gradibus dignitatis	31
XI. De annuo reditu Procerum, &c.	38
XII. De Conjugio & sexus fœminei condit.	41
XIII. De Scortatione & Adulterio	43
XIV. De fidelitate & pudore fœminarum.	46
XV. De Educatione liberorum & hereditate.	49
XVI. Quæ in Cæsaris Chiongan conjugio acciderint.	50
XVII. De Dairi uxoribus & nati heredis nutrice	51
XVIII. De Rigore juris & pœnis.	55
XIX. De Re militari.	59
XX. De Virtutibus & Vitiis Moralibus.	64
XXI. De honestis & turpibus opinione	66
XXII. De Urbibus, ædificiis & suppellecile	71
XXIII. De Cibo & Potu Japonens.	74
XXIV. De Vestitu.	75
XXV. De Eruditione, Artibus liberal. & illiberal.	83
XXVI. De Mercatura.	89
XXVII. De Moneta.	91
XXVIII. De Funeribus.	

T I T U L I C A P I T U M.

L I B R I II.

	p. 107
Cap. I. Descriptio Siam	109
II. De ejusdem regime.	110
III. De officiis & dignitate.	ibid.
IV. De magnificentia Regis Reditus.	113
V. De successione.	114
VI. De judicis.	
	Modus

DESCRIP TIO

REGNI JAPONIAE.

CAPUT I.

*De Situ Japonia, Magnitudine, Divisione, & prima
Europaeorum de ea notitia.*

EGNUM Japoniæ jam communiter dicitur Japan, incolis verò, vernaculo idiomate, Hippon. Ab Hispanis Argentana quondam dicta est: olim etiam Chryse & Zipangry dictam esse, Paulus Venetus refert. Ultima est regionum à nobis versus Ortum remotarum & cognitarum, Solisque matutinos radios omnium prima aspectat. Etenim ab Oriente obversa est Californiæ & Novæ Granadæ intervallo mille circiter milliarium.

Ab occidente Sinas aspicit interjectâ Insulâ Corea, estque variâ pro littorum flexu excursu distantiâ. Ab urbe enim Liampo *, qui Sinarum regnis in ortum est limes, ad Japonis Insulam Gotum, quæ prima indè navigantibus occurrit, leucas numerant sexaginta, (five millaria quinquaginta & unum) ab * Amacano autem, occiduo Sinarum emporio, ubi Lusitani fermè negotiantur, ad eandem Gotum, leucarum ducentarum nonaginta septem trajectus est, five milliarum ducentarum quinquaginta quatuor. Linschotius Japoniam minimo intervallo à China distare ait octoginta milliaribus: à Macao autem trecentis milliaribus. A Septentrione habet partem Septentrionalis Americæ incognitam, regna nempe Aniam & Quivira: A meridiâ Novam Guineam Terræ Australis partem, cuius majorem notitiam brevi, ut spero, nobis Belgarum navigationes dabunt. Ex illa casu nautas olim quosdam in Japonem delatos fama est; neque indè solvisle, ait Maffeus.

Ab Insulis Canariis sive Fortunatis, ea nempe quam Teneriffa vocant, gradibus centum quinquaginta septem remotus est Meridianus Japoniæ citimus, cùmque per medium Europam trigeminus à Canariis transeat Meridianus, colligimus indè, quod septem, octo, vel novem horis pro ratione diversorum locorum prius meridiem agant Japonenses, quam Europæ.

Distantia ab Äquatore, sive latitudo Japoniæ media, sive elevatio

VII. Modus in causis dubiis. De re militari.	115
VIII. Regis erga exterorū benevolentia.	117
IX. De Elephantis.	118
X. De moribus, vestitu, ædificiis.	119
XI. De Conjugio.	121
XII. De quæstu incolarum.	122
XIII. De Moneta.	123
XIV. De Lusitanorum & Belgarum conditione in hoc regno. Collecta ex aliis Scriptoribus de Regno Siamensi.	ibid. 127

TITULI CAPITUM.

LIBRI III.

Cap. I. De Religione Japonensium.	p. 135
II. De Sacerdotibus & Professoribus eiusdem.	149
III. De Templis corundem.	162
IV. De diebus Festis.	166
V. De Christianæ Relig. Introduc. per Jesuitas	169
VI. De ejusdem propagatione & incremento.	184
VII. De Methodo, qua usi sunt Jesuitæ.	190
VIII. De illis quæ Japonii objicabant uel quarebant.	193
IX. De Zelo & pietate Japoniorum.	197
X. De Causis adeò felicis propagationis.	200
XI. De Relig. Christ. crudeli Persecut. & Extirpatione.	203

DESCR I-

D E S C R I P T I O

levatio poli est triginta quinque graduum, cum inter trigesimum primum (alii trigesimuni ponunt) latitudinis gradum & inter trigesimum octavum vel nonum jaceat. Itaque dies longissimus est quatuordecim horarum cum quadrante, quo quidem die Sol meridiem agens, octo, novem, decem, &c. gradibus distat, à vertice eorum. Brevisimus decem, dempta quadrante: eritque in quarto Climate quod denominatur ab Insula Rhodo, in quo Climate etiam Cyprus, Creta, Sicilia, Peloponnesus, Lusitania, Andalusia, Granada, item magna Syriæ, Arabiae, Persiæ, Chinæ portio reperiuntur, & propterea eadem cum his regionibus habebit phænomena coelestia.

Quod ad Divisionem Japoniæ attinet, sciendum est, illam non esse unam aliquam Insulam, sed ex multis constare insulis, quæ interfluente mari disjunctæ sunt, quædam majori, quædam minori intervallo.

Divisæ sunt omnes in tres classes seu membra. 1. Chickock, Xicocum vocat Maffeus, cui tres præsunt Reges & unus satrapa. 2. Saycock, Maffeus Ximum appellat & novem satrapis regnive censi scribit. 3. Japonia, strictiore vocis usu, quæ maxima est ex his tribus, habetque in se Regni metropolim, Meacum à qua Maffeus scribit hanc Insulam denominari, & continere quinquaginta tres satrapias seu regna quorum præcipua sunt Meacense & Amangucianum: Etenim Meacensi parent viginti quatuor Dynastæ seu Reguli: Amanguciano duodecim vel tredecim. Caronius in quinque eam provincias esse divisam notat, ita ut totum regnum Japoniæ septem provinciis constet, quæ sint, Saycock, Chickock, Jamaysoit, Jetsengo, Jetsegen, Quanto, Ochiò, quæ deinde in alia regna & satrapias subdividuntur.

Neque putes trium harum Insularum unamquamque esse continuam terram. Ipsæ enim ex aliis constant Insulis, sed parvo Eupipo separatis. Unde in Epistolis Indicis Maffei, ubi describuntur itinera in Japonia, multarum insularum fit mentio, ut insulæ Hiu, p. 168. (edit. in octav.) Tacaxumæ p. 71. Iquicuchi ib. Firando p. 51. Cangæ, p. 215. & aliarum, quarum descriptio aliqua ibi videri potest. Sane Japoniæ partes sive regiones optimè conceperis, si Zelandiam Belgicæ provinciam animo cogites, quam ex 7 constitare Insulis notum est; Belgæ dicunt, *het is een gebroken land*. Cæterum provinciæ Ochio, intercedente Isthmo alia adjacet terra, dicta Jesso vel Sesso, quæ licet non sit sub Imperio Cæsarisi Japonici, tamen ad Japoniam referri potest, quandoquidem continens ejus est, & non videtur aliquod peculiare Regnum constituere. Imo si illam excludamus, non erit Japonia Insula, sed peninsula. Quanquam & de hac regione Jesso exploratum non est, utrum mare totum ejus ambitum excepto Isthmo cingat, an vero ea se ad aliam continentem extendat,

R E G N I J A P O N I A E.

tendat, vel saltem quousque vel in quam longitudinem protendatur. Caronius ita de hoc negotio loquitur: Japonia haec tenus, quantum mihi constat, Insula esse censetur: sed hoc de re certi aliquid statuere non possumus, cum maxima ejus pars ipsæ Japonensis incognita sit. Sæpe de hoc inquirens edictus sum quod ultra provinciam dictam Quanto, (ubi Cæsarea Majestas præcipua dominia habet, & in qua Cæsarea urbs & arx, Jedo dicta, sita est) iter viginti septem dierum restet versus plagam Cæciæ vel ortus æstivi, antequam perveniatur ad extremum angulum regionis dictæ T'sunga, mari conterminum. Hinc tractatæ aquæ, cujus latitudo undecim est circiter milliarium, exponuntur in terram Jesso vel Sesso, ubi pretiosæ pelles inveniuntur. Hæc regio Sesso inulta quidem est, montibus petrisque aspera, & paucis habitata locis: sed adeo vasta & longe se extendens, ut Japonenses, etiæ saepius eam perlustrârint & ad interiora penetrârint, nunquam tamen ejus finem attingere, nec de hoc aliquid certi resciscere potuerint. Etenim plerumque accidit, ut cibus illos defecerit, & ideo rebus non exploratis gressus suos relegere coacti sint. Relationes quoque exploratorum ejusmodi fuere, ut Cæsareæ Majestati cupiditatem cognoscendi vel ulterius inquirendi imminuerint. Nam, ut dixi, regio maximâ ex parte deserta est, & in quibusdam locis habitant populi, quorum totum corpus hirsutum est, prolixum capillum barbamque alunt, ut Chinensium jumenta, magis feris quam hominibus similes. Ad ostendendam itaque incertitudinem, insulæ sit Japonia annon, notandum est, quod aqua illa, quæ à regione Tsurgaar, tam versus Japoniam, quam terram Sesso labitur, fistatur ad altissimos montes & inhabitatam regionem quæ provinciæ Ochiam adjacet, & nè per longinas imo inusitatas vias cuncti dispendio iter facere opus esset, trajectus ille à Tsungaar ad Sesso hodiernum usque in diem usurpatur.

De populis hisce in terra Jesso sunt quoque sine dubio intellegenda ea, quæ Ludovicus Frojus Jesuita, cum in Japonia argeret, in quadam epistola, quæ est in libro IV Epist. Maffei, scripsit his verbis: Japoniæ terræ in Septentrionem adjacet amplissima sylvestrium hominum regio, leucas ab urbe Meaco trecentas (millaria ducenta quinquaginta quatuor.) Bestiarum pelibus induuntur, toto hirti corpore, ingenti barba, mystacibus maximis, quas paxillo subrigunt potaturi. Vini gens avida in primis, ad bella ferox, formidolosa Japoniis. In prælio fauciati, fætis aquis ablunt vulnera: id unum genti remedium est. Speculum gestare dicuntur in pectore: ad caput gladios alligant sic, ut in humeros manubrium desinat. Sacra habent nulla, cœlum dantaxat venerari soliti sunt. Aquæ per ampla est urbs in regno Japoniæ Genano: illuc frequentes comeant mercimonii cau-

sa, itēmque vicissim ad eos Aquitani, sed rarius, quod illuc de lati, sere perimantur ab incolis. Mappæ autem Geographicæ & Globi post Aquitam nihil præter Oceanum exhibent, et si jam olim Itinerarium Lynschotii de hac incertitudine monuerit.

Ex hisce jam facilius erit ferre judicium de illis quæ de magnitudine Japoniæ scripta sunt. Cluverius in sua *Geographia*, scribit eam in longitudine esse milliarum c. l, latitudine (ubi maxima) lxx. Maffeus autem longitudinem ei assignat, c. c leucarum, (quæ faciunt 171 millaria) latitudinem, ubi maxima, xxx (quæ faciunt 26 millaria.) Hæc autem non parum diversa sunt. Et regionem quidem Jesso, de qua jam diximus, uterque excludit, quippe ignotam quam nec Globi Geographici nec Mappæ monstrant. Sed & hac sepositâ, majorem tamen esse magnitudinem Japoniæ, quam vel à Cluverio vel Maffeo assignatur, ex eo manifestum est, quod ab urbe Meaco ad regionem Jesso numerentur ccclv millaria, ut supra ex Frojo diximus. Est vero Meacum in medio circiter Japoniæ sita. Et in epistola prima Indicarum, quæ scripta est à Japonio quodam Christiano, fit mentio Academiæ Banduensis quæ absit à Meaco sexcentis passuum millibus. Caronius quoque scribit mercatores Meacum commeare à ducentis & trecentis milliaribus. Ex quibus liquet, majorem esse Japoniam, quam longitudo, & latitudo tam Cluverii, quam Maffei indicant. Turfellino potius aſtentior, qui in vita Xaverii ait, Japoniam solam, unam nimirum ex tribus præcipuis regni Japonici partibus porrigi in longitudinem millia passuum DCCl : latitudinem maxima ex parte esse c. lxx.

De prima ejus apud Europæos notitia ita loquitur Maffeus: Aditæ primū ejus terræ titulum decūsve & alii quidem Lusitanis ad se trahunt: sed ego Antonio Galuano crediderim, in eo libro, quem de Inventoribus Orbis novi conscripsit, aperitè narranti, Antonium Motam, Franciscum Zeimotum, & Antonium Pexotum, cùm ex urbe Sionis Dodra peterent Sinas, pertinaci vento ad Insulas Japoniorum abreptos, anno seculi hujus (nempe decimi sexti) quadragesimo secundo, (sive anno Chr. c. i. xlii.)

Lusitanis itaque nominatis à Maffeo concedenda est gloria primi ad Japoniam aditus: sed, eos primam quoque notitiam de Japonia intulisse Europæ, non potest admitti, cum Marcus Paulus Venetus diu ante illos quædam de Japonia scripserit. Vixit hic enim seculo duodecimo post Chr. Natum. Apianus tamen & Gemma Frisius in Geographicis suis nullam ejus faciunt mentionem, multò minus Ptolomeus, qui multis seculis Paulum Venetum antecessit. Chinensibus semper notissima fuit. Eos enim ab ipsa Regni Japoniæ memoria navibus mercaturæ causâ illuc venire solitos scribit Caronius, & multa sunt e-

jus indicia. Qui navigationes ex China ad Japonem cognoscere cupit, legat Linschotium in Itinerario c. 31. 32. 33. 34.

C A P U T . II.

De Terra Japoniæ proprietatibus, Aquis, Montibus, Herbis, Animalibus.

Ex Climate quidem, in quo unaquæque regio sita est, licet judicare de illius apparentiis cœlestibus, ut priori capite innuimus: Sed de qualitatibus regionum, terræque fructibus non potest inde certi aliquid statui, cum multæ regiones in eodem Climate sitæ sint, quæ multis modis inter se differant. Tutius itaque est, de hoc experientiam consulere, & eorum, qui in illis vixerunt, narrationes sequi. In Epistolis ex Japonia in Europam missis hæc reperio. Pag. 87. Vilela de Meacensi provincia ita loquitur: Regio est in primis frigida, partim ex copia nivium, partim ex arborum cœduarum inopia. Sterilis autem adeo ut raphanis, rapis, malis insanis & leguminibus vulgo vescantur. Et pag. 89 scribit, Mense Januario anni c. i. c. lxx, magnam cecidisse nivium copiam, frigora fuisse maxima, quod etiam p. 56. refert. Almeida pag. 105 ait: maximæ erat nivium copia, quæ aciem oculorum retunderet, viaque teterrima, occultis passim occurrentibus foveis, è quibus juventa fese ægre admodum expedirent. Idem pag. 166. Præter vim frigoris acerbissimi & confragosa atque invia loca, diuturnus etiam imber calles ita lutulentos effecerat, ut sæpen numero prolapsi fuerimus: cum interea defatigatis corporibus ad reficiendas vires in diversoriis nasturtiorum & Inhamis herbæ folia præberentur. Et in eadem Epistola (scripta anno 1565) ita: Hyemis initium erat asperimæ, juga montium nive cooperta, quæ assidue cadebat densa adeo, ut jam tum experiri licet, inter ejus regionis & aliarum frigora quantum interesset: & paulò post, pag. 169; Tanta, inquit, vis nivium cœlo delapsa est, quanta his annis quinquaginta nunquam. De frigore, nive, glacie, pluvia in his Insulis testatur etiam Linschotius. De sterilitate, Villela pag. 50 in epistola ex Firando insula scripta hæc: Hic locus quartum jam quintumve annum abundat annona, exspectamus vicissim vaccas Pharaonis strigosas, quas utinam Deus arceat. Effudit enim peccatus, infantium multitudo à parentibus tali tempore pereuntium:

Quibus si nunc in ipsa vilitate non parcunt, quid in caritate pertandum est? Magna enim (mihi credite) fratres charissimi, sterilitatis incommoda ac difficultates in his regionibus sunt, prorsus ut ipsi divites herbis tolerent vitam. Idcirco nos Josephi prudentiam imitati, in annum insequenter aliquid semper custodientes, Christianorum inopiae ac necessitati consulimus: tametsi inter Josephi horrea, nostraque permultum interest, quippe apud nos non nisi nasturtiorum folia, lactucæque Sole tostæ adservantur. Res frumentaria in his locis est perexigua. Nam triticum, ubi maturum est, imbrium vi tempestatumque deperditur. Oryzam fere demetunt, eamque non ita multam, ut universæ urbi sufficiat, nec eâ pauperes nisi siquando gratulationis causa vescuntur; quos tamen omnes Domini benignitas alit ac sustinet.

Cæterum hæc, quæ ex Jesuitarum Christianismum in Japoniam introducentium epistolis attrulimus, de quibusdam tantum Insulis & regionibus Japoniæ accipienda sunt: nec ignorare debemus, toto eo seculo bellum intestinum inibi fuisse, quod agriculturam ferè omnem sustulit, in primis circa Meacum metropolim regni, ut seq. cap. dicetur. Itaque Tursellinus aptè dixit, naturâ fertilem esse Japoniam, nisi cultui agrorum assidua penè bella obstante. Etenim mediocrem esse telluris ibi fertilitatem & Belgæ testantur, & ex multitudine hominum & brutorum colligitur. Omnia enim quæ ad sustentationem vitæ requiruntur, habet Japonia in se ipsa, inquit Caronius, & nullam esse in India regionem, quæ coeli salubri temperie, fertilitate & argenti copiâ eam supereret, Hagenerus refert. Ex Japonia quoque olim farinam, & frumentum ad Philippinas vectum, legimus in Descript. Itin. Oliver. & à multis, qui in India fuere, cognovi, quod Oryza ex Japonia evahatur navibus magnâ copiâ in alias Orientis Insulas ipsamque Javam, & haberí pro omnium optima, cum sit candida; reliqua genera vel rubra vel nigra vel fusca. Multos habet montes, in quibus gramen ad egregiam altitudinem crescit, & variaz herbæ, species quædam rosæ odoratae sylvestris, flava lilia, aliæque florem bulbosum proferentes, quorum magni sunt cultores Magnates Japoniæ. Duo præcipuâ nobilitate montes visuntur, quorum alter, incertæ appellationis, assidue flamas evomit, inque ejus cacumine, certis hominibus postquam voti causa diu se maceraverint, splendida circumfusus nube sese Cacodæmon ostendit: (verba sunt Maffei) alter Figenojama nomine, leucarum aliquot adscensu trans nubes attollitur.

Fenojamam quoque montem commemorant epistolæ permanentem esse, ad cuius radices jacere lacum plenum piscibus, qui passuum nonaginta millia in longitudinem, unum & viginti in

in latitudinem habeat, & quem multi confluentes ananes efficiant. Pag. 86. epist. dicitur distare à Meaco, passuum milibus decem & octo: sed pag. 244, novem tantum milia passuum ponuntur. Ad eum montem olim suisæ cœnobia ter mille & trecenta; suo autem tempore (nempe anno 1562) tantum quingenta esse scribit Villela.

Arbores vel ad amoenitatem vel ad fructum serunt haut assimiles nostris: cedros vero tellus profert magna copia, procera & insigni adeo altitudine, ut malos ex eis faciant. Unius tamen, inquit Masseus, quæ palmam imitatur, ignoto nomine, admirabile planè ingenium. Siquidem (uti perhibent) humorem quælibet reformidat: Si forte maduerit, contrahit illico se, ac veluti pestifero contactu marcescit: remedio est, avulsam radicem in sole siccata, & in vacuum scrobem scoriam ferri contusam vel fitientem arenam infundere. Ibi, postquam aruerit, rufus depacta revirescit, ac pristinum nitorem, decorumque recipit: rami quoque decidui seu fracti, si clavo ad truncum affigantur, veluti insiti coalescant.

Herbæ Inamis sæpe fit mentio in epistolis, sed qualis ea sit, nulli fit descriptio.

Animalium quoque omnes species ibi reperiuntur, quæ in Europa sunt, ut boves, cervi, porci, apri, ursi, lupi, curiculi, canes, feles, in primis vero equorum incredibilis copia. Avium similiter variaz species, Cygni, anseres amnici anatésque, ardeæ, grues, accipitres, phasiani, columbæ, ficedulæ, coturnices sylvestres gallinæ & minoris magnitudinis species, quarum Magnates & divites domi in amplis caveis magnum altervant numerum. Falcones quoque doctos aliis avibus capientis habent. Bombyces quoque alunt, ex quibus sericum colligere norunt. Nullum vero altile animal maestant Japoniæ, adeoque domi non alunt oves, porcum, gallinam, anseres & similia, si caro gustanda sit, ferinâ vescuntur. Piscibus quoque tam fluviatilibus quam marinis abundant, sed de his plura capite de Cibo & Potu dicentur.

Præcipua autem dona, quæ Japonia largitur, sunt metalla, aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, plumbeum, omnia in magna abundantia, propter quæ diversi peregrini populi Japoniam adierunt. Argenti quidem magnam copiam suppeditat exteris, auri non ita multum: et si Paulus Venetus scribat, suo tempore aurum in Japonia fuisse multum, adeo ut palatium & arx Dairi habuerit aureum tectum. Sed & hodiernorum Cæsarum arcem Jedo, & vicinas Procerum multas ædes aureis laminis instratas esse Caronius scribit. Aquarum dulcium & fluviorum nullâ premuntur penuria: thermis quoque diversis gaudet regio (quarum beneficio & usu multis ægris sanitas restituitur;)

nimirum cupreis, sulphureis, nitrosis, ferreis, stanneis, sal-
sis.

Inter alias vidi, inquit Caronius, aquam stanni qualitatibus
seu virtutibus imprægnatam, quæ erumpit ex spelunca sita ex
adverso excelsi montis. Os speluncæ erat circiter decem pedum
in ambitu: intus propter profunditatem tenebricosa, sed partibus
orificio prioribus, quantum inspicere licebat, tam superiori,
quam inferiori latere, acutis lapidibus quasi brevibus crassissimus
Elephantis dentibus obsita, mira aspectu, nec absimilis piscis, qui
galeus dicitur, hianti palato, vel picturæ, quæ Inferni introitum
solent repræsentare. Ex hac cavitate aqua illa stannea naturæ
magnâ copiâ, noctes atque dies sine intermissione profluit, nec
majorem obtinet calorem, quam æ gri in ea sedentes admittere
possunt. Alium verò vidi fontem, priori similem, ad radicem
montis in planicie non procul à mari situm, qui certo tantum
diei tempore aquam dabat, nempe binis quotidie vicibus plerunque,
nec diutius, quam unius horæ spatio.

Subsolano tamen vehementer spirante, tribus & interdum quatuor
vicibus uno die aqua erumpit.

Lapidosus est puteus, ex quo hæc calida erumpit aqua, &
magnis saxis tectus: sed appropinquante fluxus horæ, tanto cum
vento spirituque & tantâ copiâ eructatur aqua ex puteo, ut saxe
illa commoveat, tremore quodam, simûlque ingentem clangorem
excitat similem ei, qui ex magni tormenti explosione existit, af-
fenditque aqua ad altitudinem aëris trium quatuórum orgyia-
rum. Est hæc aqua adeo servida, ut aqua communis nullo, ut ut
forti, igne ad eum servoris gradum possit perduci: triplo quoque
diutius servat calorem, quam alia calefacta aqua: & comburit
omnia, quæ lanea vel linea sunt, si in illa incidat. Puteus hic
cinctus est lapideo opere, ne cui proprius accedenti ex illa da-
mmnum nascatur: ad pedem verò montis aliquot ei inferuntur
canales, qui in progressu minores in fistulas abeunt, & aquam
illam ad ædes hominum deferunt, cum à multis ad morborum cu-
rationem adhibeatur.

Similis huic aqua servida annotatur in Historia Martyrum Ja-
poniæ, quam ultimo capite dabimus; Hanc autor ait appellari
Singak, nostro sermone, Infernum & magno cum murmure soni-
tûque ex radice montis alicujus emanare.

C A P U T

C A P U T III.

De Origine Incolarum Japoniæ.

E X quibus regionibus vel Terra Continenti in Insulas Japo-
niz populi migrârint, (omnium enim Insularum incolæ à
Continenti aliqua egressi sunt) de eo nihil annotatum invenio,
exceptis paucis, quæ Hagenerus in Notis ad Caronium habet
& quæ Linschotius in suo Itinerario. Accepi, inquit Hagene-
rus, à fide dignis hominibus, quod Japonenses hi ex China, ter-
ra Continenti fuerint ejecti in exilium, & in has Insulas missi,
incolis eas impleverint. Cum enim multi Magnates Chinæ con-
tra Cæsarem conspirârint, detecta conspiratione quidam capie-
bantur & capite multabantur. Comperto autem, quod permul-
ti ejus criminis participes essent (Linschotius non ob eorum mul-
titudinem, sed quod alii Chinenses Proceres, qui damnatis san-
guine juncti erant apud Cæsarem intercesserint, mutatam mortis
sententiam perhibet) expulerunt eos in proximas Insulas: qui-
dam aufugerunt, & in fertiles hosce fundos (Japonis, quæ tunc
nullos alebat incolas) confederunt. Ut autem originem suam,
quam à Chinensibus ducebant, occultarent, cum ignominiaz sibi
posteriorisque fore censerent, quod ob criminâ ex China ejecti es-
sent, iustituerunt mutationem omnium ferè Chinensium morum
& rituum, assumentes aliud vestium genus, alias cærenonias, a-
lium sermonem & Scripturam. Chinenses longis sunt crinibus,
quos nunquam tondent, sed accurate comptos & in verticem co-
actos illaqueant, & oblongum ex argento aliâ materiâ clavum
in laqueum inserunt: Japonenses novacula radunt sincipit, &
paulum ultra aurum regionem, relictos in occipito capillos col-
ligant in service alba tænia (quam ex chartâ contorta faciunt)
ita ut ad longitudinem articuli unius de pollice extent, atque
ita partem refecant. Chinenses, cum se invicem salutant, e-
recto stant corpore, manusque alterius alteri tangit: Japonenses
corpore valde inclinato & ferè natibus terræ insidentes saluta-
tionem peragunt. Chinenses barbam alunt; Japonenses mentum
penitus depilant. Hæc Hagenerus. Linschotius plura addit di-
cens: Eam ob causam inter Japonios & Chinenses capitalia fo-
ventur & vigent odia, afficiuntque se invicem injuriis, quibus pos-
sunt maximis usque in hunc diem.

Sæpiissime Japonii trajecerunt in Chinam infesto animo & ma-
ritima longè latéque deprædati sunt, terroque & igne devasta-
rant. Et quò magis hoc odium ad posteritatem propagaretur,
ritus & cærenonias omnia contrarias Chinensibus usurparunt,
quas

quas omnes enumerare nimis longum foret, paucas tantum affe-
ram. Chinenses sibi invicem obviam facti salutandi officium ca-
pite & manibus præstant: sed Japonii calceos à pedibus excu-
tiunt. Chinenses assurgunt illis, quibus honorem exhiberi vo-
lunt: Japonii in terram resident, dedecori grandi ducentes, si
quis erecto corpore consistat in hoc officii genere. Sicut alia
gentes pallium injiciunt humeris, prodituri; ita Japonii illud do-
mi gestant, deponunt, ubi prodeundum est. Aliis gentibus den-
tes & capilli albantes probantur: Japonii eos valde avertan-
tur & nigerrimos habere student; & nigrum colorem latitiae si-
gnum ducunt, album tristitiae. Foeminas prodeentes præcedunt
ancillæ & filiæ, sequuntur servi. Eadem foeminae cum prægnan-
tes sunt, fasciis arctè cingunt & stringunt ventrem ita ut dis-
rumpi videantur, sed ubi non habent in utero, libero ventre incedunt,
aiuntque experientia se edoces, quod haud feliciter
pariant, nisi ita egerint. Post enixum foetum matri paucus præ-
betur cibus: infans frigidâ abluitur. Hæc ex Linchotio. In
Hageneri verbis quædam sunt, quæ cum Maffeo non conser-
tent. Etenim hic de salutationis ritu Chinensium ita refert:
Salutandi ritus inter plebeios ejusmodi: Lævam in pugnum com-
pressam obtegunt dextra, ambas deinde pectori sèpius admovent,
& simul accommodato ad gestum sermone demonstrant, anticum
sibi conditum hærente in medullis. At primores brachiis arcua-
tim extensis, ac digitis utriusque manus implexis, identidem sese ad
terram submittunt: certantq; verborum officiis inter se, uter poste-
rior alterius honoris causa quiescat.

Præterea, idem Maffeus tam Chinensibus, quam Japonensibus
attribuit modicam barbam, & in Epist. Ind. pag. 257. haud ob-
scure idem ponitur de Japonensibus. Sed hic magis credo Hagene-
ro, qui diu inibi commoratus est.

Verum nihilominus est, quod in permultis aliis rebus duæ hæ-
nationes sequantur diversas consuetudines. Nec ideo tamen du-
bitandum existimo, ex China tam in Coream quam in Japoniæ
insulas Coloniam venisse, cum nulla reperiatur continens, quæ
illis vicinior sit: sed an ob eam causam, quam Hagenerus assert,
id contigerit, non ausim affirmare.

Nec illud, quod Xaverius refert pro certo receperim: Japoniam
sexcentefimo abhinc anno (sunt autem Xaverius ibi prioris seculi
medio) incoli cœptam. Confirmat autem hoc ea, quæ ex Hage-
nero attulimus. Vid. vitam Xaverii p. 352.

C A P U T

C A P U T IV.

De Supremo Japonia Imperatore, & de Dayris.

Qui summo cum Imperio præst Japoniæ, eum jam commun-
niter Europæi vocant Cesarem Japoniæ, propterea quod
inter Regni proceres quidam Regis titulo gaudeant. Absolu-
tam habet agendi potestatem, totius regni Dominus est, & ma-
gnos Reges vel Magnates ob parva delicta ditionibus privare,
in exilium mittere, in insulam deportare, morte punire, bona
illorum & ditiones aliis, qui magis id ipsius arbitrio merentur,
largiri potest, quemadmodum Caronio istuc locorum agente ali-
quoties factum.

Ab initio regni, ut Japonensium Chronica describunt, usque
ad c. 1513 Epoch. Chr. annum circiter, (in tempore hoc diffen-
tiunt valde autores: ego Xaverium secutus sum. Vid. ep. p.
236) regnavit hæreditarius continua stirpis serie Dominus, quem
Dayro nominant Maffeus & epistolæ Indicæ. Hic ab incolis
non tantum ut absolutus Imperator, sed etiam tanquam semi-
deus colebatur, & ideo nunquam bello à subditis impetrabatur
nec rebellionem patiebatur: quandoquidem unusquisque ita per-
suasus erat, quod huic Dayro se opponere, propter sanctitatem ejus
quâ censebatur, grande esset in ipsos Deos peccatum.

Nunquam attingebant (quemadmodum & hodie id observat)
pedes ipsius terram: radiis Solis caput nunquam illustrabatur:
in apertum ærem non procedebat. Præterea in illius corporis
membris nihil resecatur tam à barba & capillis, quam ungu-
ibus. Cibi omnes mensæ illius apponendæ in novis ollis præpa-
rantur.

Supremus autem quidam militiæ Præfectus quem Cubum ap-
pellabant, constituebatur ab illo, cuius officium erat, si quando
Reges & Magnates propter certas controversias & lites vel ex
libidine, unus alteri bellum inferret, sedare tales tumultus, & in
autores ejus pro ratione delicti animadvertere. Munus hoc su-
preami militiæ Præfecti seu Cubi maximæ tunc erat inter omnia
officia autoritatis, & plerunque filio secundo Dayri concedeba-
tur, cum primogenitus solus esset regni hæres. Quod si
tertius haberet filium, quem ad aliquem dignitatis gradum ex
amore illius, vel matris commotus precibus evchere cuperet, huic
quoque eundem Præfeturæ honorem impertiebatur, hac condi-
tione, ut alternati fratres officio hoc fungerentur, idque per
tres annos. Ex hac vero consuetudine, (quandoquidem amor
& regnum rivales non patiuntur) tandem evenit, ut fratrū u-
nus

nus in munere hoc constitutus, tempore administrationis suæ quosdam regni Proceres sibi arctius devinciret, statumque suum ita stabiliret, ut nec fidelibus Parentis admonitionibus nec vi leviori ab illo munere depelli posset. Quoniam autem hic illius conatus multa mala secum trahebat, a quibus regnum perturbari posset, quod antea nunquam factum; Dayrus demum constituit, hunc inobedientem & pertinacem filium per alterum belli præfectum ope Regum & Principum majori vi aggredi, caputque interficere. Consilio eventus respondit, & ut constitutum erat, ita peracta res est, fuitque hoc bellum quod primum contra Dayri Majestatem gerebatur, cum filii morte finitum.

Sed aliud mox insecum est. Etenim alter Cubus seu supremus belli Præfector, postquam necato fratre in munere hoc solus constitutus & confirmatus esset, ad suum tantum commodum omnia dirigere cœpit, & majora ausus, quam frater, cum gladium in manus traditum teneret, post mortem Dayri, patris sui, supremam regni potestatem & Majestatem sibi vindicavit, seque ipsum absolutum totius Japoniæ Dominum, & Imperatorem declaravit, relinquens nihilominus aulam Dayri, (qui defuncti primogenitus & solus regni hæres erat) in priori & antiqua forma, statu, dignitate, cum necessariis ad illa redditibus. Quo tamen Dayrus haud contentus fuit, sed contra hunc iustum regni raptorem, fratrem licet suum vindictam meditatus, alium creavit Cubum, qui priorem debellavit & necari curavit. Verum enim vero hunc quoque Præfectorum insana regni cupiditas invasit, nec priorum exempla deterrere potuerunt, quo minus, ut illi fecerant, summum Imperium obtainere niteretur, et si Dayri aulam & personam non violaret. Hinc tertium excitatum est bellum, prioribus multò funestius & diurnius, in quo cum singuli fere Reges & Principes libertatem sibi arriperent, quidam vero in alias potestatem, intestino bello omnes regiones infectæ sunt & miseris modis vastatae. Nullæ civitates, nulli pagi, ut ut exigui, fuere, qui non armis inter se decertarent, fortunâ modo uni modo alteri parti favente. In hac rerum omnium confusione, animosus quidam heros, qui antehac infimæ sortis miles fuerat, prodiit, Taycko dictus & ingenti audacia magna ausus, cum quinquaginta tantum milites initio haberet, summa expeditionum celeritate & impetu, fortunæque adjutus benignitate, brevi effecit, ut multi ad ipsum confluenterent. Horum deinde auxilio omnia regni castella urbésque occupavit & spatio trium annorum totum regnum sub imperium suum redigit, sinens Dayrum cum tota ejus familia in consueta dignitate, excepto regimine & regni administratione, quam sibi servabat. Diurni hi tumultus omnes Dayri vires fregerant, nec quisquam

quisquam ex Dynastis ejus partes amplius sequebatur. Videns itaque se impotentem omnino redditum ad arcendum Tayckonem à summo Imperio, solennibus cum cæremoniis & decenzi magnificientia illum summum Imperatorem creavit & declaravit.

Hac ratione immutata est Imperii Japoniæ forma, & vera regni majeblas, quæ in liberâ imperandi & administrandi potestate consistit, ad novos Cæsares devoluta est, apud Dayros vero justos regni hæredes mansit simulata sive ficta & inanis majestas cum vano splendore & titulis. Sacrorum summi hodie sunt antistites & in tanta æstimatione, quanta Pontifex Romanus. Cæsares quoque obligati sunt, singulis trienniis (quod tamen quinquennio vel sexennio tantum fit) ad urbem Meaco, ubi Dayri aula & olim fuit & hodie adhuc est, proficisci, atque illi pretiosis donariis & cæremoniis reverentiam & observantiam suam testari.

Offertur tunc Cæsari vinum in patera argentea, quam vino exhausto confringit, & fragmenta sibi retinet, qui ritus in Japonia pro submissionis & servitutis signo habetur.

Etenim et si administrationem Regni Dayrus concedat Cæsari, omnia tamen illa, quæ initio hujus capituli de ipsius dignitate dicta sunt, adhuc observat, & de fastu nihil remittit, nec tantum ipse superiorem se Cæsare æstimat, sed etiam ex cognatis ejus, (quorum magnus est numerus & qui juxta Dayri aulam habitant) non pauci Cæsarem præ se contemnunt. In illis novem sunt, qui proxime attingunt Dayrum cognatione, & dignitatis hæredes fiunt, si illum sine liberis contingat mori.

Motus hi bellici & cruentæ seditiones, de quibus hæc tenus ex Caronio dictum, inter annum Epoch. Chr. cīcī & cīcī, hoc est seculo decimo sexto contigerunt, & circa initium decimi septimi vel paulo postea, Taycko totius Japoniæ Cæsar à Dayro declaratus est.

Crebra est horum tumultuum mentio in epistolis Jesuitarum, qui in medio turbulentî illius seculi tempore illuc venerunt, nempe anno cīcī xix. Unde Maffeus quadam in suas Historias retulit, quæ et si in quibusdam à Caronio aliena sint, hic tamen apponere operæ pretium putavi. Sanè inquit, Japonium omne nomen uni quondam parebat Imperatori, cui titulus Vo, seu Dayri: quoad is diurna pace in delicias atque socordiam resolutus, præfectis & satrapis, ac præcipue Cubis (sic enim duo primarii vocabantur, quorum alter deinde extinxit alterum) contemptui cœpit esse. Viri ergo militares, tales aliquandiu perpessi, mox indignati dominum, tandem abrupte frontes, & suam invasere quisque provinciam: ita, momento, unitas

unitas illa & maximi contextus imperii, multas in partes ac veluti fragmenta diffusa: jus tantum Dayri manfit in hunc usque diem, honorum vocabula proceribus dividendi, quæ pro gradu um varietate mutantur identidem, certisque characteribus designantur. Inde haud spernendas cogit pecunias: alioqui poenè precariam obtinet dignitatem. Summus vero & potentissimus Japoniorum omnium habetur ille quisquis Meacum & Meaco finitima nobilissima regna (quem tractum communis nomine Tensam appellant) armis atque arcibus occuparit. (qui ideo dicebatur Dominus in Coquynay & Princeps Tensæ. Coquinay enim dicitur regnum, in quo sita est Meacum hodie enim illa longè aliter se habent.) Ea loca nuper obtinebat Nubunanga tyrannus. Hujus in solium à conjuratis ante hoc biennium interempti, liberis ejusdem aut pulsis aut occisis, per factionem ac vim præcipuus è ducum numero Faxiba successit.

Quodnam sit illud biennum non licet ex his Maffei verbis vel consequentibus colligere: rectius fecisset, si annum ipsum notasset.

Circa tamen octogesimum prioris seculi annum nempe c^{irca} 150, aliquot annis prius vel serius id factum existimo. Namque in epistola ultima Indicarum, Nubunangam legimus adhuc potentia floruisse: scripta autem est illa epistola, anno c^{irca} 1573. Quanquam in hac Nubunangæ non adscribitur sumnum imperium, sed potius Cubo, qui tunc Cæfaris erat loco. Verum de his judicare non possumus, quandoquidem illæ literæ quas post annum 1573 ex Japonia Maffeus accepit, & se editurum promisit in Præfatione Epistolarum, ex quibus hæc de Nubunanga desumpta, hactenus lucem, quod sciam, non adspexerunt. Faxibam autem proximè ante Tayckonem rerum potitum fuisse in Belgarum annotationibus legi, & quinquaginta saltem regna in suam potestatem redegisse. Eundem quoque Faxibam devicta Japoniæ constituisse firmo exercitu in Chinam trahere eamque sibi subjecere, jamque in hunc usum curasse arbores caediri ad fabricandam classem bis mille navium. Etenim manipulus Japonensium fugat legionem Chinensem.

C A P U T

C A P U T V.

De cede Cubi, que anno c^{irca} 150 D LXV facta est, & ejus Successore, usque ad 1573 annum.

Ludovicus Frojus Jesuita in epistolis suis, quæ reperiuntur in quarto libro Epistolarum Indicarum, prolixè exponit Cubi cædem & quæ consecuta sunt. Ita enim loquitur in epist. v. Coepitis nostris intervenit atrocissimum, & post hominum memoriam inauditum facinus, quod non modo conatus nostros omnino impediret, sed etiam nos ipsos in extremum vitæ discrimen adduceret. Nam regulus Imorensium (de quo scripsi ad vos ante) Mioxindonus, devictis à se gentibus quibusdam, potentia atque opibus auctus: ipsum quoque Cubum, ut in pace otioque securum & imparatum à rebus omnibus, certè nihil ejusmodi metuerent, imperio, quod magna cum æquitate regebat, per summum scelus atque perfidiam deturbare, ac Tyrannidem occupare constituit: neque apud inflammata dominandi libidine animum vel Cubi virtus & probitas, vel plurima, eaque maxima ab eodem in se profecta beneficia valuere. Igitur assumptis latrociniis sociis duobus, Narensum Tyranno Dajondono, & alio quodam dynasta, cum delectis armatorum duodecim millibus repente Meacum iter intendit, eo certiore spe rei perficienda, quod & ipse Cubi nomine universæ rei bellicæ præterat, & plurimos habebat in urbe Meaco satellites & clientes. Copiis ergo prope urbem jussis opportuno loco subfistere, ipse cum fidelium manu specie officii Meacum introit, nimurum ut quibusdam recentibus honoris insignibus à Cubo decoratus, ei gratias agat. Atque ut quod volebat, quam maximè sine tumultu transigeret, ad alia verborum officia illud etiam addit, ut Cubum in suburbanum quoddam Bonziorum (de quibus vide caput xxv) coenobium blandis precibus ad coenam invitet. Namque ibi circumventum adoriri placuerat. Sed cum res parum procederet, quod Cubus de confidente propè Meacum exercitu factus denique certior, & suspicatus id, quod erat: non modo se Mioxindono minimè crederet, sed etiam fugam pararet, ex qua deinde imprudentiā comitum suorum revocatus est. Mioxindonus aperite ratus agendum, copias omnes ad regiam proprius admoveat: ac ne inexpiabili in suum Imperatorem ac Regem odio accusus esse videretur, dum inops consilii Cubus cum familiaribus trepidat, præmittit ad Regiam, qui palam denuntiet, se caput ipsius Cubi minimè petere, certis tantum ejus cognatis amicisque graviter infensum, eorum potentiam ultra ferre non posse: itaque

itaque tum demum rem conventuram, séque indē cum pace abi-
turum, si complures proceres, quos nominat in schedula de-
scriperat, quam primum interfici jubeat. Ad hæc tam insignis
impudentiæ postulata, itā percitus is qui ad ea cognoscenda Cu-
bi jussu prodierat, grandis natu aulicus, ille ipse qui nos ad
Cubum introducere consueverat, abjecta, quam legerat, schedu-
lā, verbisque gravissimis in parricidas invectus, ad extremum ad-
dit, rebus jam desperatis quoniam quidem alia ratione non pos-
sit, certè voluntaria morte sese officio fideique suæ satis esse fa-
cturum. His dictis regressus in regiam, coram ipso Cubo stri-
ctum pugionem gentis more sibi condit in viscera, & moribun-
dus occumbit. Eodem ipso leto quatuor alii, cum præ ti-
more occlusis januis non admitterentur, mox in ipso regiæ per-
ière vestibulo. Senis verò demortui filius, ut patrem conspexit
exanimem, præceps dolore atque iracundiâ fertur in conjuratos
infestus pugnansque perimitur. Tum illi pluribus locis palatio
flamas injiciunt, quod Cubus ubi sensit, certus prælio potius,
quam incendio mortem oppetere, ex honestissimæ gravissimæque
foeminæ matris amplexu se proripit, vaditque cum suis arma-
tus in confertam hostium aciem : ibi quam acerimè dimicans,
ventrem hastili, caput sagittâ confixus, duobus præterea vulne-
ribus acceptis in facie concidit : super eum præliantes egregiè
centum circiter aulici primæ nobilitatis viri sternuntur : quorum
cum animi magnitudo ac fidelitas omnium, tum præfertim ado-
lescentuli cujusdam quartum decimum annum agentis enituit ;
qui cum in certamine hostes poenè obstupescisset audaciæ mira-
culo, eumque vivum sublato undique clamore conarentur ex-
cipere, ille Cubum defunctum intuitus, sibique turpissimum ra-
tus, Regi suo Dominoque superstitem esse, gladio confestim ab-
iecto siccac arripuit, abscessoque sibimet gutture eandem siccam
adegit in viscera. Inter hæc hostes, qua per incendia patuit
aditus, in regiam frequentes irrumpunt, fratrem Cubi Bonzium
una cum matre, néquaquam vel hujus senectutem, vel illius a-
dolescentiam miserati acerbissimè contrucidant : regia gaza diri-
pitur : cuncta ferro flammâque miscentur. Honorariæ puellæ ac
pedissequæ, regulorum sere ac principum filiæ & clarissimis or-
tæ familiis, omnia miserabiliter ejulatu gemitibisque comple-
ntes, inter obsessos armatis exitus conantur sibi fugâ consulere,
quarum aliquæ vestimentis etiam in illa ipsa immanitate petu-
lanter atque procaciter à militibus exsuntur : aliae verò ad vi-
ginti, dum ancipiti metu distractæ, hinc micantes horrent gla-
dios, indē sœvienti perterrentur incendio, in conclave quoddam
abditæ, quo nondum flammæ pervaserant, igne deinde grassante
opinione celerius, ibidem oppressæ, atque ad unam omnes ab-
sumptæ sunt, &c. Videantur reliqua de matris morte & cujus-
dam

dam Cubi familiaris ibidem in epist. ix. Frater demortui Cu-
bi, Canadonus Vojacata, elapsus è conjuratorum custodia, ad
Vatandonum (Dynaftam in regno Vomi) opis implorandæ cau-
tâ confugit supplex, quem ille non modo benignè exceptum in-
genti sumptu & munificentia plus annum in arce sua Coca fo-
vit atque custodiit, magno ob idipsum ære alieno conflato : sed
etiam ut in fraternum imperium restitueret, finitos Reges na-
tionesque circumire, atque omni ratione solicitare non desit,
quoad Nubunanga Rex Voaris, armatorum quinquaginta milli-
um exercitu comparato, & Mioxindoni & Dajondoni, qui con-
jurationis principes fuerant, repressâ audacia, quem dixi ex-
ulem, in fraternalis opibus & gradu honoris amplissimi collo-
cavit.

In epist. ultima libr. iv. Nullam puto regionem ex iis, quæ
Christianorum navigatione vel armis apertæ sunt, in tanta rerum
vicissitudine ac varletate versari, quantam assidue patitur hæc
terra Japonica. Post tuum à nobis digressum, quot cædes, po-
pulationes, eversiones urbium & incendia consecuta ! Cubo e-
nim Nubunangæ opibus restituto, cum rès Meacensis utcunque
pacata videretur esse, repente quibusdam interpositis offenditioni-
bus (ut sunt irritabiles animi Regum, & omnis imperii suspici-
osa communio) periculose & grave bellum inter eosdem ex-
arsit, cuius belli initio cum se Cubus, evocatis undique militi-
bus, in arcem munitissimam recepisset, & cum hostibus Nubu-
nangæ inita Societate (qui multi potentésque sunt) tantum vi-
rium collegisset, ut Nubunanga nequaquam è suis finibus egref-
surus in præsentia crederetur : tum ille nihil hoc apparatu per-
territus, præter omnium exspectationem cum robustis legionibus
affuit, captusque misericordia populi, cum frustra, per interpre-
tes de conditionibus pacis egisset, malo cogendum ratus, qui
monitis non pareret ; quanquam invitus, atque adeò illacry-
mans tantæ cladi (ut affirmant) omnibus passim tectis agrorum,
multisque præterea idolorum fanis, Bonziorumque cœnobiis, ad
hæc vicis frequentibus uno die centum exsustis, prædaque ingen-
ti rerum non modò agrestium, sed etiam urbanarum abactâ (quod
cives initio tumultus, veriti nè Meacum recta contenderet,
pretiosam supellestilem cum liberis uxoribusque in ea loca ra-
ptim avexerant) rursus Cubum instituit ad pacem invitare. At
ille fœderatorum copias propediem exspectans, cum interim omni
ope resistere & ultima experiri decreasset : tum verò Nubunanga ve-
hementius irritatus urbem ipsam evertere statuit.

Est autem pro situ loci divisa bisariam sic, ut altera pars
Meaci superior, altera inferior nominetur. Superiore longe ce-
leberrimam totius Japonis præcipua nobilitas incolebat : ii direc-
tionis & incendiij metum ingenti pecunia conati redimere, ni-

hil profecerunt. Inferioris urbis exitus felicior fuit: siquidem cives, & in iis Christiani permulti, non tam argenti pondere, quam precibus infimis & humilitate veniam & pacem a Nubunanga impetrarunt.

Itaque totis castris gravi poena proposita jussit edici, ne quis inferiori Mæaco damni quicquam inferret.

Interim in superiori parte conselerati aliquot, ne in patria direptione & exitio nulla ad ipsos prædæ portio perveniret, ultro ignem tectis injicere antevertunt, qui totâ eâ nocte longe latèque vagatus, tertiam fere oppidi partem absumpit: postridie vero Nubunanga cum suis inventus, quod erat reliquum omne combussit. Eo incendio ædes privatæ ad octo millia, Bonziorum cœnobia viginti, & in eis duo Xacæ & Amicæ nobilissima & maxima; minoris verò formæ ad octoginta conflagrassæ dicuntur, quorum in unum trepidâ fuga sese abdiderant Bonziæ mulieres ad sexaginta ex iis, quæ stipi cogendæ ad instaurationem fani Daibud in regno Thematis religionis causa dabant operam. Interea inclusus arce Cubus nihilominus flecti, quoad Nubunanga castellis circa ipsam arcem quatuor excitatis obsidione hominem premere & operibus oppugnare constituit, minis insuper additis Imperatoriaæ dignitatis ab ipso in Dayri filium transferendæ.

Quo metu vinctus Cubus, positis tandem ferocibus animis, præsertim cum exspectata dudum auxilia non adessent, pacem expetiit: neque abnuit Nubunanga, quanquam longe superior & explorata pœnè victoria. Scriptis itaque conditionibus obsides dati: qui tamen quod non primæ sunt notæ, negabant pleriq; Cubum in conditione mansurum: sed hanc moram interpositam, quo ad auxilium à sociis quandoque veniat.

C A P U T VI.

De stirpe Cæsaris in præsentia regnantis.

Quomodo à veris antiquæ stirpis Dominis, Dayris regni administratio & majestas ad alium nullâ generis nobilitate splendidum, nomine Tayckonem pervenerit, dixinus capite quarto. Novus hic Cæsar insigni erat vir prudentia, atque ideo non tantum feliciter regnum administrabat, sed etiam facile providebat, fieri vix aliter posse, quin Proceres regni invidia simul & indignatione aliquando stimulati, quod tam vili stirpe oriundo Cæsari obedientiam præstare tenerentur, rebellionem facerent.

Hoc

Hoc ut præcaveret, callido usus est consilio: Inter Chinam & Japoniam medio mari in longum se extendit à septentrione versus. Austrum Insula magna Corea, cujus longitudini tribuantur millaria germanica ccxx, latitudini maximæ xxx. Illam sibi in animo esse expugnare regnoque Japoniæ subjugare commiscebatur. Ad perficiendum verò hoc, præcipuos reges & magnates, à quibus periculum sibi aliquod imminere suspicabatur, illuc cum exercitu sexages millium circiter militum misit ad inferendum incolis bellum, miserosque deinde amicis epistolis magnisque promissionibus septem annos illic detinuit, assidue illos exhortans, ne reverterentur antequam totam insulam debellasset.

Elapo jam tot annorum spatio Duces & milites non poterant diutius ferre patriæ, uxoru, liberorum desiderium, nec tamen injusu vel absque permissione Cæsaris exire insula licebat.

Patientiâ itaque in desperationem & furorem conversa, crudeliter in Insula Corea grassabantur, trucidantes incolas, ædificia cœmantes, foeminas constuprantes, atque omnia, quæ poterant, funditus evertentes. Tandem Corienses cum hæc sustinere, diutius non possent, ad Cæsarem Japoniæ Tayckonem mittunt Legatum pacis ineundæ causâ. Cæterum hic Legatus amore suæ patriæ flagrans Cæsarem & simul seipsum veneno intemperit. Proceres Japonenses in Corea belligerantes auditâ Cæsaris morte, illico non exspectata permissione vel licentia in patriam relicta Corea festinarunt, quisque ad suas ditiones, visuri quisnam ex ipsorum numero imperium consecuturus esset. Prædictus Taycko genuerat unicum filium, nominatum Fidery, qui moriente patre sextum modo ætatis annum agebat.

Sentiens itaque pater moriendum sibi esse, elegit præcipuum & potentissimum ex regni Proceribus, cui maxime omnium fidebat, dictum Ongoschio, quem in Testamento filii, cuius ætas ad regnum nondum apta, Tutorem constitueret & interregem. Quod tamen antequam ficeret, debuit Ongoschio volente ita Cæsare & juxta gentis morem, aliis quoque adhibitis obtestationibus & Sacramentis, Syngrapha quam sanguine è corpore suo educto conscriperat cavere, quod filium Cæsaris Fidery, simul ac is in decimo quinto versaretur ætatis anno, solennibus ceremoniis & ritibus, per Dayrum in Cæsarem Japoniæ coronandum curaturus esset.

Mortuo itaque Tayckone suscepit regni administrationem Ongoschio, acri vir judicio, & grandi jam senectute nomine pupilli sui & tanquam Interrex, quoniam & defunctus ita voluerat & Proceres Imperii consentiebant, ne propter Cæsaris pueritiam alius supremam dignitatemi affectaret, noviqrursus belli materiam subministraret.

C 2

Ve-

Verum enimvero hircus olitor erat constitutus. Etenim Ongoschio promissis suis proprio quamvis sanguine consignatis non stetit, sed sibi posterisque suis regnum comparare aggressus est, idem procul dubio animo volvens axioma, quod Romanorum primo Imperatori Cicero tribuit: *Si violandum est jus, regni causa violandum est.* Pupillum itaque suum Fidery, cum jam decimus quintus ætatis annus non longè abeslet, variis conflictis criminationibus oneravit, inter alia vero illum accusavit, quasi sibi Tutori à Parente ipsi constituto diffideret, & metuens ne ad regnum non evehetur, bellum pararet, quo vi & armis imperium Tutori concreditum & pro tempore demandatum ariperet.

Objiciebat quoque tum ipsi Fidery, quod soli Cæsari convenientes honores admitteret, antequam Cæsar eslet declaratus, tum Proceres regni, qui illum talibus honoribus afficerent. Has & alias non minus futilis prætendens rationes nefandi consilii, bellum instituit contra pupillum, contractisque in regno Suruga copiis quam poterat maximis ad urbem Ofacka, ubi aula Fidery erat, perrexit, arctâque obsidione cinctam tertium post mensem expugnavit. In summum vite discrimen adductus Fidery, humiliter vitam sibi ut concederet, Ongoschionem Tutorum rogabat, imperiumque ultro ipsi cum regni Majestate permittens, vasallus tantum & satrapa quidam esle cupiebat.

Atque ut hanc petitionem facilius ab Ongoschione impetraret, ablegabat ad eum uxorem suam, quæ Ongoschionis filia erat & ab ipso in matrimonium pupillo data. Sed Tyrannus, mortuum Leonem non mordere cogitans, filiæ precibus aures præbere abnuit: quin potius perfidum suum propositum persequens, devictâ arce, ædes illas, in quibus se Fidery cum matre & præcipuis ex nobilitate tam viris quam foeminis absconderat, lignorum strue ad egregiam altitudinem circumdari jussit; quæ succensâ ædes illæ cum omnibus intra eas latentibus in cinerem redactæ sunt & tot nobiles animæ tam miserabili leti generatæ privatæ.

Omnis quoque Dynastas, qui ex parte Fidery steterant, interfecit Ongoschio, totoque regno in potestatem suam redacto, confluebat imperii formam non per pejorem eâ, quæ à præcessore Tayckone inductus erat. Facta hæc sunt anno 115 D. cxvi Ep. Chr. & Fidery in Historiâ martyrum Japoniæ dicitur Fidecosamma. Quibus peractis, haud diu regni possessione illi licuit gaudere: sed proximo post illa anno vitam, cum valde jam senex, commutavit, relinquens hæredem regni filium nomine Combo, sive Conbosamma, qui solenni ritu Cæsar factus est & parens fuit Cæsaris illius, qui anno 115 D. cxxxii incepit regnare, appellatus Chiongan:

C A P U T

C A P U T VII.

De regiminis Forma.

Sicut olim Dayi, ita hodie Cæsares Japoniæ absolutam obtinent regnandi & quidvis agendi potestatem. Omnes incolæ tam Reges & magnates, quam infimæ fortis in eo unicè elaborant, ut Cæsari omnia officiorum & servitiorum genera præstent. Regum & Dynastarum filii qui parentibus in dignitate & imperio successores esse debent, in aula Cæsaris educantur, ita ut & obsides sint, & à pueritia sub aspectu Cæsaris versantes astucent Cæsaream Majestatem venerari.

Ex Consiliariis Cæsaris quilibet peculiaria obtinet munera & proprios titulos, exceptis quatuer, quorum summa est post Cæsarem autoritas.

Hi ab omnibus regni proceribus honorantur & coluntur: singulis diebus in aula convenienti, de oblatis causis deliberant, ad Imperatorem referunt, hujusque sententiam promulgant. Nulla ipsis restringendi arbitrium Cæsaris licentia, nec impuniti abirent vel extra periculum exilii & deportationis ab officio forent, si post acceptum semel responsum de eadem causa denuo ipsius sententiam peterent. Eliguntur Consiliarii à Cæsare ex Nobilium numero, qui in aula ipsius educati præcipuorum ministeriorum muneribus defuncti fuerunt, suâque diligentiam & probitatem probârint. Itaque cauti valde & attenti sunt in alloquendo Domino, ad vultum illius, antequam verba faciunt, respicientes, nec nisi benè prius apud se consideratis & animo expensis, quæ ad quælibet interrogata respondenda sint, id aggrediuntur, sedule cavent, nè gratiâ & benevolentia illius excidant: imò si vel iniquè pronunciaverit Cæsar, ea tamen approbant, & sua sententia confirmant. Tempus opportunum alloquendi captare eos oportet, & si vel maximi res eslet momenti, intempestivè tamen illud non ausint proponere. Reditus Consiliariorum anni, primorum quidem sunt vicies florenorum, mediorum decies, reliquorum ter, bis, semel, sive viginti, decem, tres, &c. auri tonnae Flandricæ, ut jam vulgus loquitur.

Ad præcavendas omnes seditiones & rebelliones, atque ad subditorum inpræmis Magnatum animos & affectus erga se cognoscendos, sœpius mittit Imperator in diversas provincias clanculum quosdam suorum ministrorum, quos sibi maxime fidos esse ratur. Hi diligenter expiscantur, quid de Domino in singulis regionibus sentiant & loquantur incolæ, & an quidam contra eum conspirent inter se,

Verum alio callidiori & longe certiori ad hoc utitur artificio. Singulis nimurum Regibus & Dynastis potentioribus adjungit Consiliarium sive Cancellarium cum splendido praetextu & literis in hanc sententiam ad eos scriptis: Fideles & chari, scio, magnum esse subditorum vestrorum numerum & ideo gravia vobis incumbe regiminis onera. Eam ob causam, cum vestri curam agam, virum quendam prudentem simul & fidum, qui in aula mea educatus esset, vobis adjungendum censui. Illius itaque opera utamini, & grata sit vobis haec mea pro vobis sollicitudo & cura.

Haec non sine magna cum gratiarum actione, ceremoniis, donariis, & honoribus peraguntur. Viri illi, quos Cæsar in haec munera mittit, ex eorum numero diliguntur, qui a pueritia in ministeriis trium Cubicularum aulæ versati sunt, & quorum si dem, ingenioque acumen Cæsar expertus est. A quibus insuper antequam eos ableget, juramentum exigit & syngrapham sanguine uniuscujusque exaratum, quod omnia ad regni statum utcumque spectantia, quæ viderint, audierint vel fenserint apud Dynastam, ad Cæsarem sint perscripturi. Nec licet Dynastis quicquam inscio hoc Cancellario agere, sed in omni rerum suarum administratione hujus ministerio & consilio uti debent. Faxibus autem, qui ante Tayckonem regnavit, confueverat frequenter Regibus & Dynastis mutatis alias surrogare, ut hi imbecillitatem suam & precariam possessionem regnorum agnoscentes ipsi majorem præstarent & observantiam & fidelitatem, quandoquidem ex arbitrio illius omnia dependerent, & regnis exuti amitebantur illi insignem suam probare industriam & reverentiam, ut novas Dynastias consequerentur ab illo, quod crebro factitabat non aliter ac si Præfecti modo essent.

Præterea non contentus sacramento fidelitatis, omnes Dynastias jussit singulis annis sibi ferre insignia donaria, ut etiam hac ratione illorum vires debilitaret. Insuper majori altu ad hoc opus esse existimans, omni tempore magnum hominum numerum, usque ad centies mille, adhibebat ad extruendas urbes, arcus, palatia, castella, templa, eaque omnia sumptibus subditorum perficiebantur, & magna ferri copia consumebatur, ut hoc praetextu arma subditis demeret & à novarum rerum molitionibus arceret. Etenim cum Dairus legitimus Regni Dominus adhuc superstes fit, fieri aliter nequit, quin Cæsares illi habeantur in justi usurpatores Majestatis, ut valde mirer, tantam esse Dairi apud illos reverentiam, ut illum necare non ausint.

In provinciis, quæ Cæsaris imperio immediate subjectæ sunt, constituti sunt ab illo Præfecti & Magistratus, qui ipsius nomine regimi præsunt.

Notatu vero digna est singularis in hoc regno turbium pagorumque

rūmque structura, & indè dependens Gubernatio. Dividuntur enim omnes in plateas, quarum singulis peculiare est nomen & longitudo sexaginta perticarum, quas sekjens vocant, & una eam tres ulnas facit Hollandicas. Unaquæque platea ab utraque extremitate portas habet, quæ de nocte excubiis laternisque appositis clauduntur, quemadmodum etiam aliâ quadam necessitate & periculo id postulante; ita ut eo tempore ex una in alteram introitus haud pateat, & tumultus petulantésque clamores omnino coérceantur. Duo in singulis plateis sunt Consules & unus primarius Præfectorus, quibus incumbit causas & lites civium cognoscere, & de omnibus quæ inibi fiunt, rationem reddere: quinæ vero quæque dominus unum habent Præfectum, qui primarium præfectum tenetur edocere de omnibus quæ in illis quinque ædibus geruntur, & ad illum patresfamilias, quæ in vicinis ædibus viderint, deferre debent. Si quid criminis admisum fuerit, nec tamen delatum ad primarium præfectum, re comperta, in singulos quinque patresfamilias animadvertisit. Primarius ille plateæ præfectorus ad Prætorem totius civitatis refert, qui de illis, si levioris sint momenti, statuendi potestatem haberet, si vero majoris, ad Gubernatorem, qui nomine Cæsaris vel Dynastæ præst civitati, causam ablegat. Nullæ enim civitates, multo minus pagi, judiciorum obtinent potestatem, quandoquidem omnes vel Cæsaris vel Dynastarum sunt peculum. Ita quidem Caronius. In epistolis tamen Indicis pag. 86, Vilela refert de urbe Sacajo, quod suis legibus ac moribus more Veneto gubernetur. Nulla autem inter Caronium & Vilelam pugna est, quia de diversis temporibus loquuntur. Nam Vilela centum annis ante Caronium inibi vixit. Præfectorum illorum, de quibus dixi, officium quoque est, annotare singulis annis natorum, demortuorum & viventium numerum, eumque Cæsari indicare, nempe præfectorus quinque ædibus ad primarium præfectum plateæ de suis quinque ædibus refert: hic primarius ad totius civitatis vel pagi Prætorem, hic ad Gubernatorem, qui denique ad duos Cæsaris consiliarios, quibus ea cura demandata est: atque hac ratione nunquam latet Cæsarem quot subditos in singulis provinciis habeat. Hoc autem in nostris regionibus Christiani principes & Magistratus facilitiori opera per Baptismi Sacramentum, funerumque ceremonias cognoscere posunt.

C A P U T VIII.

De Cæsar's Arce Jedo, & aliis.

Multæ sunt Cæsar's Japonici arces non minus amplæ quam firmæ, ut Quana, Iwatsukii Matsjamma, &c. multa quoque palatia & castella, quorum inter Jedo & Meaco urbes, distantia centum & viginti quinque milliarium, numerantur virginati. Inter arces pulcherrima censetur Jedo, & posthanc Osacka. Sedes & aula Cæsar's hodie est in Jedo, cum olim esset Meaci, quæ causa est, quod in Maffeo & epistolis Indicis crebra fuit mentio Meaci, nulla arcis Jedo.

Magnitudinem illius ex circuitu licet colligere, quandoquidem ille ad minimum sesquimilliare habet.

Tribus cingitur fossis totidemque juxta eas spatiose sunt ambitus: profunditas fossarum egregia, ab imo lapidei muri in utraque facie educiti qui silice per medium disiecto constant, foras spectante superficie planâ, & vacuis minori lapide & argilla expletis. Varii autem & diversæ formæ procurrentes hinc fossarum inde anguli.

Etenim primus sive intimus ambitus cuspidem sui hinc inde aquâ comitante immittit in secundi cavitates, secundus in tertium, tertius vicissim in secundum, ita ut propter tam varios operum ductus & commixtiones difficile sit distinctam ejus ideam memoriam retinere.

● Trecentorum circiter passuum spatio per octo vel novem transitur portas, quibus interceptæ viæ non directim sed ad normam una alteri sitæ sunt, modo ad dextram modo ad sinistram deflectentes. Inter binas quasque portas primo magna se offert planities, post illam per lapideos gradus superanda sunt quædam acclivia opera cum altis mœnibus extructa, his relictis pervenient ad alia loca plana, in quibus aliquot militum legiones juxta aciei formam possint, necessitate ita exigente, collocari. Ex uno ambitu in alterum multi super fossam strati sunt pontes: platearum in hisce ambitibus maxima latitudo ita ut vere plateæ nomen iis competit: in illis utraque regione splendida & ampla magnatum palatia conspicuntur. Ingressus in arcem duo, Portæ ligneæ sunt, ab utraque parte ferreis laminis crassitudine pollicis, decussatim & craticularum in modum sibi invicem obviantibus obductæ: super illas magna extorta est domus, in quā ducenti vel etiam trecenti milites disponi possent. Primus sive intimus ambitus complectitur Cæsar's palatium amplum & in variis habitationes divisum, domosque uxorum: arboreta ab ar-

te naturam emulante profecta inibi non pauca, ut etiam piscis, amnes, horti, stadia: Oeci, Conclavia, cænaçula, inibi multa omnia incredibili pretiosorum catastromatum & aulæarum sericarum immixto auro argentoque splendidum serie exornata. Ante hoc palatium in planicie theatrum conspicitur comediiis & ludis agendis dicatum.

Qui inter intimam mediâque fossam est ambitus, is consanguineorum Cæsar's & Consiliariorum habet palatia. In tertio ambitu, qui primus est introeuntibus Regum & præcipuorum Principum Japoniæ sunt ædes, magnificæ & splendidissimæ, auro obductæ. Extra tertium ambitum Satraparum & minorum Dynastarum domos videbis, pro divitiis opibusque habitantiam singulas exornatas. Sane, cum omnium sere horum ædificiorum tecta auro sint obducta, inde fit, ut si à longinquo arcem hanc aspicias, montem aureum te videre existimes. Proceres quoque tam supremi quam infimi ordinis omni opera annuntuntur, ut in exornatione arcis splendidisque ædibus alteri palmam præripiat, atque hoc modo Cæsar's favorem præ aliis sibi conciliet: unde sæpius aliam atque aliam formam suis ædibus inducunt. In hisce educantur illi filii, qui hæredes esse debent paternorum ditionum, ut præced. cap. dixi: & dimidia Procerum pars alternatim per unum semestre aulæ Cæsar's adesse tenentur & ipsi tunc in ædibus illis habitant: quæ causa est, quod urbs hæc Magnatibus & Dynastis, qui magno cum Nobilium satellitumque numero incedunt, semper plena sit, & plateæ non raro angustæ nimis ad concedendum liberum incessum. Hæc de arce Jedo sufficient dicta: Ejus in epistolis Jesuitarum nulla fit mentio, quia illo tempore nondum fuit extorta, sed à Taikone circa initium hujus seculi. Ejus enim hoc est molimen.

Præter illas, quas satis jam multas Cæsar habet arces, non raro novas extrui curat.

Anno 113 D cxxxvi. Ex ipsius mandato amplum ædificium in regione Nicko, quatuor dierum itinere ab arce Jedo, suscitatum est, nimis ad Cæsar's defuncti anno xxxi, parentis ejus sepulturam.

In illius templo antico suspensa est cuprea, ut vocant, corona, lychnuchos multos getans, quam Societas Belgica Indiae Orientalis Cæsari tunc forte donaverat. Addita est arx cum duplice fossa & mœnibus ex saxo, spatiose & satis munita, intus splendidas habens aulas. In hac multa millia hominum laborant, varii artifices, aurifabri, pictores, ærarii, fabri, lapicidæ aliquique ad hoc negotium qui requiruntur, quibus omnibus & singulis certum ad operis perfectionem tempus à Cæsare nullis sumptibus parcente constitutum & præfixum fuit. Cumque talis sit structura, ut vulgari hominum supputatione, similiūmque operum

operum exemplo ad minimum, triennium ad ædificationem postulare videatur, perfecta tamen & absoluta est spatio quinque mensum.

Jacet procul à finibus regni, loco mediterraneo, ubi nulla arcis necessitas: nullum vero alium in finem extructa, quam ut Cæsari Mausoleum patris visitaturo & solennibus ritibus veneraturo hospitium duorum dierum præberet.

Aliquando Cæsar proceribus regni, qui apud aulam ejus tunc sunt, castella propriis ipsorum sumptibus excitandi, amplificandi, fossas ducendi & similium curam demandat, unicuique pro operibus & divitiis assignata certa portione operis faciendi secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem. Illico hi aliquot millia operariorum omnis generis conducunt, pecunias & varia ad opus necessaria advehi & coempi curant, quantum quisque ad portionem injunctam necessarium existimaverit. Cum admirazione tunc ibi videoas, quam industrii & impigi sint singuli in curando opere, nullâ habita ratione grandium sumptuum certantes inter se invicem; alter alterum celeritate prævenire.

C A P U T IX.

De Magnificentia Cæsaris & Reverentia Procerum erga eum.

DE his quidem in præcedentibus quædam attigimus, hic alia commemoratione digna afferemus.

Omnes regni Proceres, Reges & Dynastæ dimidiæ anni partem in aula Cæsaris Jedo commorari tenentur, ut eo tempore exeuntem comitentur, ministeriis fungantur, & ad jucunditatem vitæ sodalitum præstent: uno nimirum semestri magnates in septentrionali & Orientali Japoniæ parte habitantes Cæsari adiungunt: cum alterius semestris initio adveniunt ex australibus & Occidentalibus provinciis, post quorum adventum priores ad suam quisque provinciam revertitur, non sine accepta à Cæsare licentiâ, multis cæremoniis, solennibus conviviis & donariis: e lapso semestri redeunt, atque ita alternatim splendido hoc oneore levantur & premuntur. Diximus autem præc. cap. quod procerum quilibet in secundo & tertio arcis Jedo ambitu proprias habeat ædes, in quibus tempore istius commorationis habitent.

Neque verò paucis accedunt stipati ministris, sed sex, quinque, &c.

&c. millia hominum, pro conditione quisque opum & ditionum suarum secum adducunt, omnes splendidissimo ornati, magnâque cum pompa, ita ut in tam magnificos accessus & recessus magnam sumptuum vim impendere opus habeant. Dominus sive Dynasta in Firando, ubi Societas Belgica negotiationis suæ Japonensis sedem, merciumque repositorium pro tempore constituit, ex infimo proceram classem est, nunquam tamen cum minori quam trecentorum virorum comitatu proficiscitur, in quorum numero sunt nobiles; præfecti, milites, armiferi, servi, &c. Idem Dominus in duabus ædibus, quas in Jedo habet, alit plures quam mille homines, partim viros & servos, partim foeminas & ancillas: atque ita alii Magnates pro facultatum rerumque suarum magnitudine se gerunt: cumque propter immensam hominum in urbe Jedo multitudinem magna sit omnium rerum caritas, quilibet de faciendis sumptibus judicare poterit. Has augent splendida eorum ædificia, quæ sæpius immitantur & renovantur; superbæ vestes, quibus tam ministros quam primarias gynecei virgines exornant; sumptuosa convivia & donaria in tam magnifica aula facienda.

Progresurus Cæsar extra arcem, interdum equo vehitur, interdum lecticâ ab omni parte apertâ portatur. Præcedunt proceres regni, de quibus jam dixi, & alii Domini, quos proprio nomine appellant Contubernium Cæsaris, qui aula nunquam absunt. Hi omnes ex illustri Regum & magnatum sunt stirpe, largis gaudent stipendiis, sed nullis ditionibus vel officiis præsumunt in id solum electi, ut Imperatori ad voluptatem & delectationem consortium præstent.

Ideo eximiis præditos oportet esse animi dotibus, quidam medici, alii musici, excellentes pictores & Scriptores, Oratores, Poëtæ & similes. Hos sequitur prima cohors præatoria, quæ constat ex delectis nobilibus, filiis, fratribus cognatisque Regum, progenitis ex pellicum lecto, qui hæredes paternarum ditionum esse nequeunt & propter pellicum multitudinem magno sunt numero.

Denique alterius cohortis seu potius legionis prætoriæ, (quandoquidem bis, vel ter mille habet milites, dimidia pars cum præfectis & magistris suis præcedit Cæsarem, & altera pars tergum tuetur, atque agmen claudit, multis satellitibus circa lecticam versantibus: atque omnes ita incedunt composito corpore, ut in neutrum latus se inclinent, jucundumque spectaculum præbeant. Nulli clamores aut sermones in via vel à comitibus & satellitibus Cæsaris vel ab incolis platearum, per quas eunt, instituuntur, ita ut istic locorum nihil audiatur, quam strepitus ex incessu tam multorum hominum & equorum excitatus, cæteroquin sumimum silentium. Vix platearum purgatæ & arenâ inspersæ sunt

sunt: aedium januae apertae esse debent: nemini prætereunte Cæfare in officina, taberna aut antico stare nec per fenestras et undem contemplari licet: sed vel in domus interioribus partibus se continere vel præ foribus aut in limine in genua considerare debent.

Præcipui Reges & Principes, quando novum aliquod palatum edificant, præter januas ingressisque ipsorum usque necessarias splendidam aliquam portam fieri curant, exornatam à pede ad summitatem usque elegantibus cymatiis, menianis sive projecturis & statuis, quæ omnia non leviter deaurata sunt: perfectoq; opere nè ab injuria coeli & pluviarum splendor aureus pallens, asperibus superinductis regitur. Hæc porta in eum solum exstruitur finem, ut Imperatori ad unum in novas illas ædes introitum, nunquam deinde repetendum, pateat. Etenim palatio absoluto, Dominus illius excipit Cæfarem opiparo convivio, ad cuius adventum splendida illa porta, remotis asperibus aperitur, finito convivio per eandem Cæsar discedit, statimq; clauditur, nec unquam deinde recluditur; quo ipso summam Imperatoris Majestatem indicant, quæ tanta sit, ut nemo dignus censeri debeat, qui per eandem portam transeat.

Omnia instrumenta ad hujus epuli apparatum, domusque exornationem necessaria, magnis sumptibus & industria diu ante convivii diem comparantur, iisque insignia Cæfaris insculpuntur vel intexuntur: finito convivio, ad memoriam tanti honoris & gratiæ à Cæfaro profectæ quod vasalli ædes præsentia suâ dignatus sit, tanquam egregius thesaurus seponuntur & aservantur, nunquam vero deinde ad usum adhibentur: cùm nullius Dynastæ Cæfar secundo fiat conviva.

Invitatur autem ad hasce dapes tribus annis ante tempus constitutum, quo tempore in præparandis necessariis rebus occupati sunt: & postquam primum diem suâ Cæfar præsentia decoravit per tres deinde menses procerum turba luxuriat, multis interea observatis cæmoniis, festivitatibus, donariisque ultrò citrōque missis, ita ut vel regias opes palatii illius structura & convivium exhaustire queat. Princeps Zatsumæ, cum nuper in ædibus recensenter exstructis Cæfarem convivio excepisset, majorem (quam quisquam antehac) ab illo honorem gratiamque expertus est. Donabat ei Cæfar annuos redditus superantes sexies florēnorū pro alendis equis sive ad fabas pro equis, ut loquuntur.

Quando Imperator in venatione grues aliquot, quorum magna hic est aestimatio, cepit, interdum unam illarum vasallo cuidam suo in singularis favoris signum donare consuevit. Hæc donatio tam care constat vasallo, ut dimidiam annuorum redditum partem auferat. Ideo enim, quod eam avem Cæfar ope falco-

falconis ipsem et ceterum, tantum secum fert honorem, ut propter ea multis diebus convivia magnifica instituantur cum multis donariis cæmoniisque, omnibus cum maximo splendore perficiantur.

Rex Hispanæ, Siamis, ut & Romanus Pontifex aliquoties ad Japoniæ Cæfarem Legatos suos miserit: sed hic illos nunquam similiter honore vicissim dignatus est, et si missos magnificè & decenti pompa excepit.

CAPUT X.

De gradibus Dignitatis.

Aud solum Cæfarem esse liberrimum administrandi arbitrium, Darios autem externo tantum splendore parem illi vel etiam majorem obtinere Majestatem, amissa regnandi potestate, diximus in præcedentibus. Nomine tertius itaque & si inanem spectes honorem supremus in regno est Darius, si imperium, Cæsar. Etenim ipsam urbem Meacum, ubi Darii aula est, Cæsar per constitutum inibi præfectum gubernat, qui in epistolis Indicis pag. 155, dicitur, Xamaxinodonus, Regni quoque Proceres non Darii sed Cæfaris sunt vasalli & hujus tantum dictis obedientes. Inter subditos, qui primæ classis sunt, sive maximæ post Cæfarem autoritatis, Reges appellantur, impropre vocabulo sumpto, cum reguli potius dicendi sint, qualium viginti & unus numerantur. Hos subditi alloquuntur manibus humi positis ut ex epist. p. 175 colligitur. Secundam classem constituunt Duces quatuor: tertiam principes sex: in quarta classe equites, qui simul barones, septemdecim: in quinta Barones nonaginta: in sexta Domini minores quadraginta & unus. Maffeus ait, eos qui cum imperio sint, rerumque potiantur, omnes appellari Tonos inter quos tamen alii existant dignitatis gradus, ut apud nos Regum, Ducum, Marchionum & Comitum. Et in epist. p. 60 legimus, quod Cungues sit nomen magni honoris. Consiliarii Cæfaris sunt viginti octo, quorum quatuor primatii Regibus parem obtinent dignitatem, reliqui paulo minorem.

Septimum itaque ordinem facit Clerus, qui in varias sectas dividitur. Capita autem, earum sive Episcopos appellare placet, principibus, quidam etiam regibus præferuntur: de quibus capite de Religione dicetur. Ad hunc quoque ordinem omnes docti referuntur. Octavus ordo est Nobilium, quorum numerus propter

pter multitudinem non annotatur: multò minus nonus Ordo, quem milites ignobiles faciunt, qui omnes sunt stipendarii vel Cæsaris vel Dynastarum, quemadmodum etiam maxima nobilium pars, quandoquidem etiam hi omnes ferè milites sunt, pauci satellites & ministri Cæsaris & Dynastarum. In decimo ordine sunt mercatores, in undecimo opifices, in duodecimo rustici, in infimo denique mancipia, quæ emuntur & venduntur eti rusticis alias à mancipientibus perparum differant.

Mercatorum nulla est dignitas & honor, sed viles censentur, cuius causam afferunt hanc, quod mercator (ut ipsi putant) mendaciis deditus sit, & turpis lucri, nummorūmque accumulandorum causa fine ullo falso pudore tam nobiles, quam ignobiles fallere non erubescat, ut Caronius refert.

Opifices contemnuntur propter vilem, in qua vivunt, conditionem, cum ministri sint civitatum & pagorum, manuque & laboribus victum sibi querere necesse habeant. Agricolæ & mancipia, ideo quod maximè omnium sese fatigant & quasi captivi vitam transigunt, ab omnibus despiciuntur. Nobiles verò & milites à reliquis incolis honorantur & metuuntur, otiosi vitam degunt, obambulant, aluntur, sustentantur & ministeria accipiunt ab aliis: privilegiis multis gaudent, immunes sunt ab omnibus oneribus ferendis. Illis egentibus non minor habetur à cæteris honor, quā si essent opulent: neque nobilis quisquam eti pauper cum plebeia vel ditissimâ conjugium init. Namque descendendo ad plebeiorum affinitatem existimant se multum dignitatis atque existimationis deperdere. Superbi fastuosi illis mores, imperitia magna, rapacitas non minor, egregii audaciæ. Parvos alunt pueros pro servis, qui soleas illorum portant, quandoquidem calceis quales nostri sunt, non utuntur, ut Capite de Vestibus dicemus: hi pueri dicuntur portatores solearum schoen-dragers, & decem vel duodecim stuferos præter tenuem victum accipiunt singulis mensibus.

Hic de nobili quodam memorabilem attexam historiam.

Memini accidisse aliquando, inquit Caronius, ut superbus quidam minister, pauperi Nobili operam suam offerret servitutis ei pro solearum seu calceorum portatore, ut loquuntur, plus interim mercedis pro servitio suo propter egregiam corporis dispositionem postulans, quā ab egeno Domino persolvi posse non ignorabat. Offendebatur Nobilis haec juvenis istius arrogantiæ, qui illusum sibi venisset: dissimulans tamen iram & indignationem suam hunc in modum respondebat: Nimium equidem tibi pro mercede dari postulas, tamen quoniam oculis meis places, recipio te pro ministro meo. Cæterum, elapsis tribus diebus ablegabat illum ad aliquod negotium, redeunte incusabat, quod longiori, quam decuisset tempore absuisset: atque hanc ob causam

R E G N I J A P O N I A E. 31
eum necabat, (quod quidem in hisce locis Domino licet) ulciscens hac ratione illius temeritatem sub honesto prætextu.

Mancipientibus miserrima est conditio ita ut non rarò mortem oppetere malint, quām eam miseriam diutius sufferre. Et enim si quando Dynastæ mœnia quædam extrui curant, rogantur à mancipientibus sub specie officii, liceat sibi corpora sua subternere extruendo operi: quandoquidem Japonenses persuasi sunt, quod ea mœnia, quorum fundamentum continet carnem hominis qui ultro se subjecit operi, nullam patiantur ruinam. Ita annuente haud gratae Domino, miseri illi à superimpositis lapidibus comminuantur & contunduntur.

C A P U T XI.

De anno reditu Procerum, expensis Cæsaris, & aliorum hominum quæstu.

Si Ingulis Magnatibus à Cæsare assignati sunt anni reditus, quos ex provinciis, quas regunt, adjacentique mari capiunt. Diversæ ditiones diversa præbent dona. In una regione triticum, in alia oryza feliciter provenit: quædam gaudent auro & argento, aliæ cupro; stanno, ferro, plumbo, nonnullæ variis ligni generibus & aliæ aliis, sed plurimæ metallis abundant.

Hæc omnia accurate annotata sunt & apud Cæsarim assertantur. Quantum autem unicuique ex Regibus & Dynastæ constitutum sit à Cæsare, id ex obsignatis regni rationibus Caronius enarrat juxta Japonensium suppurationem, quæ fit per Cockios, quorum unus æstimatur decem florenis Flandricis sive quatuor imperialibus. Nos hic ponemus pro Cockios florenos. Simul autem arcium nomina in hisce recensentur. Ita autem loquitur:

Cangano Tsium Angon, Rex Cangæ, Jetchiu & Nattæ, habitat in arce Canga. Red. in flor. 11900000.

Furugano Saynangon, Rex Surugæ, Toto, & Micausbæ, habitat in arce Faytsiu. 700000.

Onwarino Daynangon, Rex provinciarum Owery & Mino, residens in arce Nangay. 7000000.

Sendayno Tsium Angon, Rex Masjammæ & Dysio, residens inex-
pugnabili in arce Sandaii, 6400000.

Sarfumano Tsunangon, Rex Sarfumæ, Ossinnii, Fiongo, Luckio, residens in arce Cangasima 6000000.
Kino-

DESCRIP T I O

Kinocounii Daynango Rex in Kino, Icho, residens in arce Ibake jamma	5500000.
Catto Fingonocamii, Rex in Fingo & adjacentibus provinciis, re- sidens in arce Koumamoto	5540000.
Matsendeyro Jemenesko Rex Tsinkisæ, Faccattæ, residens in arce Foucosa	5100000.
Matsendeyro Jonocamii, Rex letschesæ, residens in arce Oede.	5000000.
Cato Skibo, Rex Ofiæ, residens in arce Ais	4300000.
Affaino Tayfima, Rex Bingi, residens in arce Oky.	4200000.
Matsendeiro Nangato, Rex in Soro, residens in arce langi.	3700000.
Mitono Tsiunangon, Rex Fitaitriæ, residens in arce Mi- to.	3600000.
Nabissima Cinano, Rex Fisciæ, residens in arce Cogioys.	3600000.
Matsendeiro Sintario, Rex Inabafokii, residens in arce Tack- ahan.	3200000.
Todo Ifumii, Rex Ingaichæ, residens in arce Tsou.	3200000.
Matsendeiro Countii, Rex Bisæ, residens in arce Okajam- ma.	3100000.
Inno Camman, Rex Totomis, residens in arce Sawajam- ma.	3000000.
Foslocausba Jetchiu, Rex Boysæ, residens in arce Cokora.	3000000.
Ojefungii Dainsio, Rex provinciæ in Jetsengo, residens in arce Junii Sauwa.	3000000.
Matsendeiro Dainsio Rex provinciæ Jetsenjo residens in arce Formando.	3000000.
Matsendeiro Auwa, Dux Auwæ, residens in arce ineft.	2500000.
Matsendaiko Jetchigonocamii, Dux Congæ, residens in arce Tackato.	2500000.
Matsdeiro Tsiusio, Dux Iuæ, residens in arce Matsjamma.	2500000.
Arjanna Rimba, Dux Tsinkingæ, residens in arce Cour- me.	2400000.
Moryno Imasack, Princeps Imasackæ, residens in arce Siam- ma.	2000000.
Torii Inganocamii, Princeps Tosanocetii, residens in arce To- cosiam.	id.
Satake Okiou, Princeps Sewani, residens in arce Akita.	id.
Matsendeiro Simosauocamii, Princeps Simosæ, residens in arce Tatobays.	id.
Foriwo Jamaissiro, Princeps Insnos, residens in arce Mats- dayts.	1800000.
	Ikomma

REGNI JAPONIAE.

Ikomma Ikinocamii, Princeps Sanikæ, residens in arce Co- quam.	id.
Fondakainomii, Eques & Dominus Farimæ, residens in arce Taitno.	1500000.
Sackay Counay, Eques & Dominus in provincia Wano, resi- dens in arce Fackso.	id.
Tainsauwa Simade, Eques & Dominus in provincia Fisen, re- sidens in arce Carats.	1200000.
Kiongock Wakasa, Eques & Dominus Waefæ, residens in ar- ce Ofamma.	id.
Ferii Tango, Eques & Dominus in provincia Jetchesen, re- sidens in arce Kawanchisima.	id.
Minsio Fiongo, Eques & Dominus in provincia Chingo, ha- bitans in arce Foukojamma.	id.
Sackybarra Eskibou, Eques & Dominus Kooskæ, residens in arce Tattays.	id.
Matsendeiro Tawaits, Praefectus Cæsareæ arcis in Quana	1100000.
Okendeiro Imasacka, Eques & Dominus Simotskæ, residens in aree Oetsnomio.	id.
Sannadafus Eques & Dominus in provincia Sinano, residens in arce Koske.	1100000.
Taitisibanna Finda, Eques & Dominus Tsickingi, residens in arce Jannangouwa.	id.
Ongsauro Ouckon, Eques & Dominus in provincia Fari- ma, residens in arce Akays.	1000000.
Indatii Voutomii, Eques & Dominus in Iyo, residens in ar- ce Itasima.	id.
Mambou Sinano, Eques & Dominus in provincia Ochio, re- sidens in arce Moriamma.	id.
Niwa Groseymon, Eques & Dominus in provincia Ochio, residens in arce Siracauwa.	id.
Ebeno Bitchiou, Praefectus Cæsareæ arcis Iwatsukii, in regi- one Mousays.	800000.
Kiongock Oenieme, Eques & Dominus Tangæ, residens in arce Tanabo.	700000.
Makino Sunga, Dominus in magna provincia Jethchingo, re- sidens in Nangareka.	id.
Nackangausba Nysien, Dominus in provincia Bougo, residens in urbe Nangoun.	id.
Naitosamma, Dominus in provincia Fitaits, residens in urbe Waiatu.	id.
Jeckenda Bitchiou, Praefectus Cæsareæ arcis Matsjammæ in provincia Bitchiou.	600000.
	Matsura

D E S C R I P T I O

Matsura Fisennocamii, Dominus in provincia Fisen, residens in Firando. id.
 Sengeck Fiwo, Dominus in provincia Sinano, residens in O-jenda. id.
 Catta Sewado, Dominus in provincia Ijo, residens in Oets. id.
 Tosauwa Okiou, Dominus in provincia Sewano, residens in arce Sinchiro. id.
 Matsendeiro Iwamy, Dominus in provincia Farima residens in Chisongonii. id.
 Marskoura Boungo, Dominus in provincia Fisen, residens in Simabarra. id.
 Jeskouwa Tonnomooy, Dominus in provincia Chongo, residens in Fita. id.
 Tsungaer Jetchiu, Dominus in provincia Ochio, residens in Tsungar. 600000.
 Ongafauwara Sinano, Dominus in provincia Farima, residet in Sckajis. id.
 Itho Chiurii, Dominus in provincia Fonga, residet in Orasio. 500000.
 Fourta Siwo, Dominus Iwamii, residens in arce Daifiro 500000.
 Wazifacka Arbays, Dominus in Sinano, residens in arce Ino. id.
 Toukii Mangato Dominus in Iohe, residens in arce Toba. id.
 Crima Sermonoske, Dominus in Nicko, residens in Acconda id.
 Outa fiwo, Dominus in Jamatta, residens in Ouda id.
 Matsendeiro Dewado, Dominus in provincia Jetschen, residens in arce Ouno. id.
 Minsnokuits fokii, Dominus in provincia Fetsengo, residens in arce Chibatta id.
 Inaba Minbou, Dominus in Choungo, residens in arce Ouf-chiro. id.
 Croda Cainokamii, Dominus in Chinano, residens in Camro. id.
 Matsendeiro Sovodonno, Dominus in provincia Isumii, residens in Kisnowadda. id.
 Tonda Sommoy, Dominus in prov. Tfounocomii residens in arce Amangasack id.
 Stodtsianangii Kemmot, Dominus in prov. Ichior, residens in arce Cangou. id.
 Tonda Ichenocamii, Dominus in prov. Micausba, resid. in arce Okasacka. id.
 Matsendeiro Jammaissiro, Dominus in Tamba, residens in Caf-sajamma id.
 Morii Cainocamii, Dominus in prov. Inga Icho, residens in arce Sourosada. id.
 Tonda Notanocamii, Dominus in prov. Farima, resid. in arce Fimens. id.

Ekito

R E G N I J A P O N I A E.

Ekito Sionoske, Dominus in prov. Fitaita, residens in arce Chi-chiando. 500000.
 Essano Oeninne, Dominus in prov. Chone, resid. in Caffama. id.
 Neito Cinocamii, in prov. Chiono, resid. in Akandato id.
 Catto Skibodo, Dominus in prov. Ochio, residens in arce Soma. id.
 Fonda Jamatta, Dominus in prov. Taisima, resid. in Isius. id.
 Ouckob Cangato, Dominus in prov. Mino, resid. in Cannō. id.
 Neito Boisen, Dominus in Dewano, resid. in Iodata id.
 Inawa Awacys, Dominus in prov. Tamba, resid. in arce Fouckaut summa. 400000.
 Camii Dyrick, Dominus in prov. Iwanii, resid. in Mongamii. id.
 Cattaingiri Ismou, Dominus in prov. Jammatta, resid. in Tatfta. id.
 Chonda Findanocamii, Dominus in prov. Jethesen, resid. in Marossa. id.
 Itacouro Sonodanno, summus Praefectus Miaci, habet redi-tus ex prov. Jamaissiro. id.
 Matsendeiro Bougo, Dominus in prov. Iwamii, residens in Nackafima id.
 Fonda Naykii, Dominus in prov. Farima, resid. in Fimeis id.
 Matsendeiro Tango, Dominus in prov. Ochio, residens in Suckii id.
 Canna mauri Isoumo, Dominus in prov. Finda, resid. in Ou-morii id.
 Ciongock Chiurii, Dominus in prov. Tango, resid. in Tan-nabe 360000.
 Outa Chjwe, Dominus in prov. Mino, resid. in Itsmodaij 300000.
 Matsendeiro Jetsio, Praefectus arcis Cæsareæ Ioudo in prov. Jamaissiro id.
 Matsendeiro Ouckon, Dominus in prov. Farima, resid. in Ako id.
 Minsonoja Ichenokamii, Dominus in prov. Kooske, resid. in Chinotains id.
 Jammasacka Kainokamii, Dominus in prov. Bitchiou, resid. in Narfe id.
 Malsendairo Jamatto, Dominus in prov. Jetsesen, resid. in Cathjamama 300000.
 Inno Fiwo, Dominus in prov. Coske, resid. in Enna id.
 Matsendeiro Tonnomon, Dominus in prov. Micausba, resid. in arce Jussinda id.
 Akisuckii Nangako, Dominus in prov. Nicko, resid. in Sumyno id.
 Souo Inaba, Dominus in prov. Sinano, resid. in Soua id.
 Foissimo fongo, Dominus in prov. Sinano, resid. in Tackoboyts id.
 Sunganoma Ouribe, Dominus in prov. Totemii, resid. in arce Seie. id.

D. 2

Simae

Simaes Oenaniske, Dominus in prov. Nicko, resid. in San
dobarra, id.
 Kinostaji Jemoji, Dominus in prov. Bongo, resid. in prov. Fins, id.
 Sono Tsuissima, Dominus provinciae Tsuissimad, id.
 Koinde Fimano, Dominus in prov. Tonga, resid. in Okoda, id.
 Fonda simosa, Praefectus arcis Cæsar. Missiwo, habitat in prov.
 Micausba, id.
 Gorick Setsnokamii, Dominus in prov. Micausba, res. in Fam
mamats, id.
 Chiasio Suraga, Dominus in prov. Fitaits, resid. in Tsutoura, id.
 Sakuma fisten, Dominus in prov. Sinano, resid. in Imjamma. id.
 Todo Tojusima, Dominus in prov. Mino, resid. in Cannan
jamma, id.
 Fonda Ifumii, Dominus in prov. Fitaits, resid. in Minnan
gausba, id.
 Tongauwa Tosa, Dominus in prov. Bitchiou, resid. in Ni
kajis, id.
 Matsendeiro Tosa, Dominus in prov. Ichesen, resid. in Kono
natta, id.
 Novendecim alii Domini, quorum quilibet habet annuos re
ditus fl. 200000,
 Duo alii totidem. 200000.
 Quatuordecim minoris dignitatis, quorum singuli 150000.
 Viginti quinque, quorum quilibet 100000.
 Viginti octo Consiliarii Ordinarii Cæsar, qui reditus capiunt seu
annua æra ex Cæsari immediate subjectis provinciis.
 Descendunt autem reditus hoc ordine 1500000, 1200000,
 1000000, 900000, 600000, 500000, 400000, 300000, 200000.
 Sex habent 200000.
 Totidem, 150000. Septem habent 100000.
 Pro Cæsari, filiique, qui Successor est futurus, aula, & quæcunq;
 ad hæc necessaria, dantur & consumuntur 40000000.
 In stipendia militum Cæsari, qui omnes sunt nobiles, singulis
 annis destinantur reditus 50000000.
 Horum omnium aggregatum ostendit annuos reditus, quos Cæ
sar partim vasallis & militibus attribuit, partim in propriam
 aulam insumit, excrescere ad 28345000 florenos sive 2834 tonnas
 auri Flandricas, aut 283 millions, ut jam loquimur.
 Quas vero opes sibi Cæsar colligit ex provinciis quæ ipse immedi
atè parent, ex annotatae non sunt.
 Aurum & argéntum, quæ præcipios Cæsari thesauros consti
tuunt, inclusa sunt cistis, quarum singulæ continent mille Taylas, ut
 vocant: estimatur autem una Tayla stuferis Flandricis quinquagin
ta septem, sive imperiali & septem stuferis.

Fidem superare fertur thesaurorum horum magnitudo, nec
yulgo

vulgo nota est: repositæ autem sunt illæ Cistæ, quibus inclu
duntur, in singulas arcis Jedo turres: à longo tempore collecti
 sunt thesauri, & reconditi cum vétustis Scripturis & Testamen
tis: & ideo propter antiquitatis reverentiam asservantur & magis
 magisque augentur: quandoquidem sumptus, quos toto anno Cæ
sar facit, vix duorum mensium proventus absument.

Regum & Dynastarum reditus supra recensiti ampli quidem
 sunt, sed propter magnas expensas, quas, ut in præcedentibus
 capitibus diximus, facere necessum habent, non sufficientes, ita
 ut maxima eorum pars in re valde tenui sint. In primis verò
 magnus numerus militum & ministrorum, quos alunt, opes eo
 rum exhausti. Illis enim provinciarum suarum certos attribu
 unt agros, quibus se sustentent. Massus ita hac de re loquitur:
 Ii omnes (Dynastæ & reges) non tam auro pecuniâve, quam
 cæteris opibus & clientelis abundant. Quippe ad regnum eve
 sti, militibus amicisque agros (jure fundi sibi retento ac nullo
 imposito vectigali) dividunt eâ lege fruendos, ut & in pace,
 descriptis ordine ministeriis appareant Regi, & in bello suis ipsi
 cibariis ac reliquo sumptu militiam obeant. Sic fit, ut dynastæ,
 quanquam in magna nummorum inopia, tamen & multitudine
 bellatorum, & aulæ frequentia, cæteroque apparatu, vim imperii
 ac speciem regiæ majestatis obtineant.

Nobiles itaque & milites ex stipendio suo, quod ex attributis
 agris capiunt, victum & amictum sibi comparant: mercatores ex
 lucro: opifices ex opere, agricultæ & mancipia ex illâ fructu
 um particula, quam Domini illis ad sustentandam vitam con
 cesserint.

Ex mercatura nec ad Cæsarem nec ad provinciarum, in qui
 bus exercetur, Dynastas ullus census redit: soli negotiatores
 lucrum habent; qui merces emunt & vendunt, quod plerunque
 est exiguum, nisi vel singularis fortunæ favor vel subitum pre
 tii incrementum aliquos lautori emolumento beaverit. Etenim
 amplum est regnum, ingens hominum multitudo, ita ut unius stuferi
 lucello vel decem inhient.

Vectigalia mercibus imposita non sunt: nec ullum tributum sub
 dicti Dominis persolvunt: pro fundo tantum ædificiorum, quando
 quidem is Dominorum est, solvunt aliquantulum, nempe pro ma
 gnitudine fundi, ab uno floreno ad viginti in plerisque. Prætereat
 patresfamilias singulis fere mensibus bis operarium aliquem tenen
 tur ad ministeria Domini mittere, sæpe in unam modo horam, in
 terdum in dimidium diem. Clerus partim ex templorum & cœnobiorum
 proventibus, partim à populi liberalitate sustentatur, de quo
 plura videantur in libro de Religione. Vocantur autem Bonzii.

Caput XII.

De Conjugio & sexus fæminei conditione.

IN rebus ad conjugium spectantibus eadem ferè vigent in Japonia consuetudines, quæ in omnibus Asiaticis regionibus parva est in quibusdam discrepantia. Polygamia licita est, hactamen conditione, ut una tantum sit legitima uxor, reliquæ pellices sive Concubinæ, qualium quot alere possunt, tot habere permittitur. Plebeias quidem & pauperes unâ contentos esse jubet curta supellex; sed magnates & ditiores istâ licentia egredi utuntur. Unde mirum videri non debet, si multam progenerent sobolem, regnūmque incolis abundet, in primis militibus & nobilibus, quippe ad quorum classem filii ex pellicibus geniti maxima ex parte referuntur. Ayunculus Cæsaris Chiongonis, (qui anno 1631 regnare incepit) Rex in Mito cum etiæ quinquaginta annorum, tot progenuerat filios, quot ætatis annos impleverat: & præter hos multis filias, quarum numerus vulgo non innotescit, quandoquidem in gynæco assidue commorantur. Soli filii ex legitima uxore nati sunt heredes paternarum ditionum & opum, nec in horum defectu ex pellicibus geniti admittuntur ad successionem: sed Cæsar aliis regni Magnatibus, quibus favet, eorumque filiis defunctorum possessiones largitur. Uxorem hanc, ex qua procreandi sunt successores, ipse Cæsar magnatibus attribuit, conjugiumque ratum esse jubet: quam ideo valde splendide habent, novisque ædes deauratas & magnifice exornatas ad illius adventum extrui curant, adjungentes ei magnum nobilium virginum honoratarum & famularum numerum, pro suis quisque opibus, à viginti ad ducentas, quæ gynæcum constituant, & omnes pretiosis induitæ vestibus incedunt. Ex hisce proferentem se extra ædes Dominam sequuntur & comitantur viginti, triginta, vel etiam quinquaginta, delatae lecticas vermiculato opere auróque intercurrente paratis, sed omni ex parte clausis: quas singulas ab utroque latere cubicularii & satellites cingunt: inter binas quasque lecticas duarum orgyiarum intervallum relinquitur.

In ædibus uxorum vel juxta eas omnia habent Magnates, quæcunque ad recreationem hominis facere possunt, nempe hortos, pilcinas, aves terrestres & aquatiles, instrumenta Musica & singulis ferè diebus illic aguntur Comœdia. Maritus enim, aiunt, ingrediens uxoris domum, ut animum recreet, frontemque explicet, omnia negotia, officiorūmque curas ex animo removet, quasi horum nihil ipsi incumberet: egrediens autem, rursus illa

illa assumit. Proinde præsente in gynæcis marito, nihil inibi agitur vel tractatur, quam ludicra oblectamenta, Venereæ deliciæ, cum fidium fistularūmque Musica. In primis vero ipsæ uxores tam summâ quam infimâ stirpe nate callent, & valde in eo laborant, ut singulare cum suavitate, honore & obedientia mari-tis placeant, & ex vultu illorum, quomodo animus sit affectus, cognoscant.

Viros ambire vel procari foeminas, non fert Japonensium consuetudo: omnia matrimonia per utriusque partis parentes contrahuntur: quod si parentes jam defuncti sint, proximis consanguineis hoc officium incumbit. Dotem viris nullam afferunt uxores: opulentiores quidem parentes solent interdum cum filiabus suis ipso quo nubunt die, certam pecuniæ summam ad sponsum mittere: verum illam ad eos sponsus cum solenni gratiarum actione & cæremoniis remittit. Nolunt enim quicquam admittere, ex quo uxor occasionem superbiae capiat: in plebeiorum tamen conjugio, quoniam illi omnes fere pauperes sunt, si sponsa aliquid secum afferret, id non remitteretur, quemadmodum etiam interdum contingit. Proverbium quoddam crebro in ore habent, foeminam toto vitæ tempore carere propriâ habitatione. Puellam enim in parentum ædibus, nuptam in mariti, viduam in liberorum domibus agere. Porro nobiles, quamvis pauperes & egentes, nullâ ratione adducuntur (si fides habenda est Xavero, qui p. 189. illud narrat) ut cum plebeio vel ditissimo jungant connubium: adeo præ dignitate divitias ducunt. Si viris minus placeant uxores, possunt illas, quandocunque volunt, cum honesto divortio à se dimittere, et si nullum admiserint crimen: & plebeii hoc jure utuntur: nobiles vero & Dynastæ aliter agunt. Neque enim, et si non ducantur amore uxor, ideo eam repudiant, sed retentæ apud se conjugi de omnibus, ut antea, prospiciunt: ad pellices vero amorem transferunt & cum his se oblectant, raro deinde legitimum thalamum repetentes. Atque hinc fit, ut uxores cum tam exiguo jure nullis que ferè privilegiis se gaudere videant, omni studio annitantur mores maritorum suorum probè cognoscere, quo hisce cognitis ea faciant, quæ grata & jucunda illis sient, nihilque eorum omittant, quæ ad deviciendos sibi maritorum animos quicquam momenti habitura nōrint. Itaque ubi ab alienatum à se maritum foemina sentit, tantum abest ut par pari referre vel illum objurgare conetur, ut potius ægritudinem dissimulans nè tristiori quidem ingratove vultu eum excipiat, sed dulcedine conversationis & inserviendi promptitudine amorem ejus sibi rursus conciliet.

Dynastarum & nobilium uxores peculiaria sua habent cubicula &

D 4 conclam

conclavia, quibus inclusæ quasi servantur, nec in cuiusvis aspetum veniunt.

Mercatorum & opificum uxores in antica domo sedent cum ancillis suis rem domesticam gubernantes: à venientibus tamen magna cum modestia & decenti cum respectu compellantur, unoquoque sibi bene cavente, nè liberiores sermones apud illas instituat, vel gestibus amore utcunque significantibus utatur. Hoc enim & viro, qui tale quid fecisset, & mulieri, quæ admisisset, magno verteretur vito. Magnatum uxoribus semel tantum in anno extra ædes se proferre permisum est invicem cognitionis causâ: & portantur à mancipiis sedentes in lecticis nulla parte ad obviantium oculos patentibus. In gynæcea sua mariti nullos admittunt viros, præter eos, qui proximâ illas cognitione attingunt, idque raro. Magna enim cum diligentia custodiuntur, & virginibus illic degentibus omni masculorum conversatione interdictum est. Nulla suspicio delicti, ut ipsum delictum taceam, tam parva est, quam morte luere non oporteat.

Virgines in gynæcea feliguntur pulcherrimæ, è nobili prosapia natæ, & quæ edoctæ sint, quomodo apud Dominas suas se generere debeant, cum summa modestia illis servire, loquendi, videnti, tristitiae simulandæ tempora discernere. Distributæ sunt in certas classes, quæ ex peculiari vestium, quas ex serico habent, colore dignoscuntur.

Aliquarum vestes rubri sunt coloris, cingula verò & tænia viridis: aliarum alba sunt vestimenta, cingula cum tæniis rubra: quædam flavo conspiuntur habitu cum cingulis tæniisque purpureis: atque ita porro aliorum ordinum alii colores. Præterea singulæ classes sedecim plerunque constant virginibus, quibus una Antistes seu gubernatrix præfектa est. Ad pauciores quam quindecim annos nulla in gynæcum recipitur, plerque ad totum vitæ tempus: multæ cum quatuor modò annorum vel circiter ætas illarum est, eliguntur. Quasdam ex illis, postquam ad xxvii annum ætatis pervenerunt, elocant Domini in matrimonium ministris suis quibus præ cæteris favent: atque simul stipendia illorum augent, certamque pecuniæ summam donant. Severitatis, quæ in gynæci pudicitia tuenda utuntur, grande exemplum nuper dedit Dynasta de Firando, cum tres puellas jussit arcis includere, quibus intus ab omni latere infixi erant acuti clavi: unam quidem illarum, quod clanculum cum nobili quædam juvene solita fuerat in colloquium venire &, ut arbitror, amori indulgere: reliquas duas, quod cum illud scirent, ad Dominum non detulissent. Nobilis ille sibi ventrem fecuit, de quo mortis voluntariæ genere in sequentibus dicemus.

Nec silentio prætereundum est, quod omnes fœminæ ita à teneris annis informatæ sunt, ut nunquam se rebus civilibus aut regimini misceant,

misceant, nec de talibus maritos percontentur, vel aliorum nomine quicquam ab illis petant.

Norunt enim, si ejusmodi sermones instituerint, maritum absque ullo dato responso vel verbo, tacitum è gynæco discessum cum indignatione, quo nihil magis illæ evitare student. Rogati Japonenses, cur uxores suas tam severè habeant, nec ullam rerum civilium curam aut cognitionem permittant, respondere solent, primò quidem, quod fœmina in eum tantum usum nata sit, ut viro inserviat, laboribus curisque laulum recreet, liberos ei pariat & educet: Deinde, quod cum olim, magnam obtinerent mulieres libertatem; multa inde extiterint tragica facienda, quorum aliquot historiarum monumentis adhuc contineantur. Experiens itaque cautores factos occasionem tantorum malorum sustulisse. Majus est, quod Xaverius scribit p. 240, Bonzios, Japoniorum sacerdotes docere, singulas mulieres propter menstruorum foeditatem pluribus peccatis esse coopertas, quam viros universos: proinde tam teturum animal haut facile salvum esse posse. Sed idem mox adjicit hoc à Bonziis fieri, ut à fœminis salutis æternæ cupidis, opima auferant donaria. Quin idem Xaverius & alius quidam Jesuita in epistolis affirmant, Japoniis persuasum esse, si fœminæ pariant puellam, ipsas ad inferna damnari, & ideo medicamentis conceptum impedire vel abigere. Verisimilem illorum narrationem facit Hægenerus Benga referens quod circiter dimidiæ horæ itinere à Firando prope aliquem maris sinum conspiciantur deposita cistella lignea, unius ulnæ in latitudine & crassitie. Huc prægnantes venire uxores atque rogare Deum hisce verbis: *Da mihi filium, tunc tibi manus afferam*, cum hisce verbis illas aliquantulum oryzæ offerre Deo.

C A P U T X I I .

De Scortatione & Adulterio.

L upanaria & lenocinia admittuntur in omnibus Japoniæ provinciis, quod ideo fieri dicunt, ut illi qui propter egestatem vel alias ob causas propriam uxorem non habent, in illis libidinem explere queant, nec ad constuprandas civium filias vel maritatas fœminas incitentur. Meretrices sunt mancipia lenorum, qui pro certo pretio eas Venere turgentibus locant. In diversoriis, quæ sunt in via ducente à portu, ubi naves appellunt

lunt ad urbem Jedo, (miliarium 136 circiter) pueræ ventribus ministrant, elegantibus vestibus sericis induitæ, et si hospitum mancipia sint. Interpres quærerit ex peregrino, cum quanam ex illis, que ibi ministrant, per noctem se delectare cupiat; Hæc, quam elegerit, liberaliter & humane corporis sui usum ipsi concedit.

Invaluit quoque ab aliquot annis consuetudo, ut simul ac natus quædam Belgica in Japoniam delata sit, mox illi præsto sint lenones & diversiorum hospites, qui præcipios ex adverbis interrogent annon pro tempore commorationis in istis locis cupiant sibi assumere pellicem aliquam aut uxorem? Annente peregrino, adducunt juvenculam, & contractum matrimoniale faciunt. Pacificitur sibi mulier in victimum singulis diebus tres, quatuor aut sex stuferos, quantum potest: præter hæc pro vestitu unam vel duas stolas sericas, (pretium unius est xxv vel xxx florenorum) totidemque gossipinas, cum aliquot calciolis ex cervino corio. Parentibus pueræ, vel lenoni, si mancipium sit, promittunt x, xv vel xxx florenos. Facta conventione dat Belga convivium, & pro tempore uxoratus est. Cum ejus discessu conjugium dissolvitur, paulo post Japonensis aliquis adest, qui mulierem illam propter tantillum lucri quod à Belga meruit, in uxorem ducat; magnum sanè paupertatis incolarum indicium, sed ideo mirus mirandum, cum divortia sine ulla turpitudine ibi quoque facere liceat, ut præced. cap. dictum.

Scortis itaque & meretricibus cùilibet sive cælebs sive uxoratus fit, impunè uti licet: at maritatas fœminas constuprare vel pueris vi pudicitiam eripere capitale est. Anno quadragesimo hujus seculi, dirigente ibi mercaturam Belgicæ Societatis Caronio, cuidam Germano caput amputatum fuit, propterea quod cum nobilis vel militis alicujus uxore rem habere deprehensus esset, quod ut intermitteret sæpe antea ab amicis erat admonitus, quemadmodum & mulier.

Maritis quidem ad Scorta ire licet, ut diximus, sed uxores ob parva delicta, nempe si vel secretum cum aliquo sermonem habuisse constet, morti obnoxiae fiunt. Si maritus uxorem suam in clauso cubiculo vel janua non patente, cum alio viro versantem deprehenderit, utrique mortem inferendi potestatem habet, quod etiam aliquando et si rarius, contingit. Peregrè profecto marito, vel domo si sit absens, eadem potestas patri, fratribus & aliis consanguineis competit, imò servis illud permisum est. Unde adulteria hac in gente rarissima sunt, ita ut Caronius scribat toto suæ procurationis spatio unum tantum ejus exemplum innotuisse, quod sanè tale est ut horrorem alicui incutere possit, casta autem mente legendum. Vir quidam, de uxore sua male suspicans id quod res erat, domo exiens simulabat,

quasi

quasi peregrè ab urbe esset profecturus. Non multò post reditus domum præter opinionem uxoris, reperit eam in cubiculo cum alio viro turpiter se gerentem. Mœchum statim interficit, uxorem autem scalæ alicui alligat capite & pedibus & totâ nocte sic ligatam sinit. Sequenti die invitat omnes consanguineos & affines ad convivium. Venere frequentes tam viri quam fœminæ. Hæc cum matremfamilias non conspicerent, ignorare eorum quæ acciderant, aliquoties Convivatorem percontantur, ubinam uxor esset, cur non accederet? ille respondere, occupatam esse præparandis eduliis, jubere convivas hilari esse animo. Cum jam aliquot horis accubuiscent mensæ, feréque convivium absolutum esset, maritus ille conclavi exiens ad intersectum priori die cadaver se confert, genitalia ejus resecat, atque ea flosculis quibusdam infixis exornata in capsulam recondit, clausamque hanc uxori suæ de scala religatæ, feralibus vestimentis induitæ & capillo passo, tradit cum his verbis: I, convivis appone has dapes, & experire, si forte propter cognatos tibi gratiam fecero, culpamque condonavero. Mulier inscia, quid capsula contineret, & jam tum semimortua, rationisque expers, mandata mariti exequitur, & terribili ista specie magis spectro, quam homini similis cubiculum ingreditur, capsulam porrigit, coramque convivis in genua procumbit. Aperta capsulâ, & quid ineflet conpecto, misera in animi deliquium incidit & ab adstante marito caput illi mox amputatum est. Quæ res tantopere convivas percelluit, ut illico omnes domo ausigerint reliquo convivio.

CAPUT XIV.

De fidelitate & pudore fœminarum.

Duo fidelitatis exempla, totidemque verecundiæ seu pudoris annotat Caronius, quorum tria postrema, cum ibi præsens esset, contigerunt, primum dudum ante illius adventum, anno nimirum 1616, bello, quod Ongoschio Tutor contra pupillum suum Cæsarem Fiderium gessit de quo in præcedentibus dictum est. Erat tunc temporis in hujus aula regina Cocoræ, una eurs liberis, tanquam obses: Rex autem illius nimirum maritus, sequebatur Ongoschionis partes contra Fiderium. Quo cognito Cæsar metuens régina fugam, ut arctiori eam custodiâ servaret, jussit illi mandare, ut in arcem cum liberis suis se conferat.

conferat. Regina habita Cæsari debitâ reverentia recusavit id hisce verbis: Serenissime Cæsar, uxor ego cum sim, non minus imperium mariti mei agnosco, quam maritus meus Vestræ Majestatis imperium observare tenet. Curet itaque Vestræ Majestas marito meo hoc indicari, ut ego ab illo iusta vestræ voluntati satisfacere queam. Cæsar hoc responso ad iram commotus, jubet illi rufus dici, ut veniat, & nî faciat, se vim adhibiturum. Verum illa non tantum Regis conjux sed & regiâ stirpe nata maximo sibi dedecori & marito suo id fore exitimans, mortem potius oppetere quam tale quid admittere statuit. Videns itaque quod viribus Fiderii resistere non posset, assumptis liberis, puellis gynæcei, nutrice sua, quæ omnes cum Domina sua mori decreverant, in aliquod conclave se confert, atque huic magnam ligni pulverisque nitrii copiam circumponi curat. Testamentum deinde cum aliquot tristibus versiculis conscribit, quod fidelissimo cuidam ex nobilibus suis ministris tradit, hæc cum informatione, ut simul ac flamمام erumpere conspicerit illico Regi suo id indicet, & Testamentum illud offerat. Fiderius in sententia sua persistens misit, qui reginam abstraherent è conclavi, sed illa accensa materiâ quâ conclave cingebatur, prævenit, atque ita omnes illæ fœminæ concrematae sunt.

Non minus memorabilis est historia, quæ in regno Fingo accidit. Nobilis quidam magni nominis pulcherrimam duxerat uxorem: hujus amore flagrans Rex clam sustulit è medio nobilem, paucisque deinde elapsis diebus fœminam ad se vocat, amorisque suum ei exponit. Verum illa exploratum habens, quod Rex causa suis mortis mariti sui, ad illius inhonesta postulata hunc in modum dicitur respondisse: Potentissime Rex, decebat quidem me tacitam mecum gaudere felicemque me æstimare, propterea quod digna habita sim, quæ Vestræ Majestati inservirem aut placerem: attamen affirmo V. M. quod eodem temporis punto, quo me contrectaverit, dentibus ipsa mihi linguam præmorsura sim, ut vitam cum morte hoc pacto communtem. Quod si antequam id attentet V. M. uni meæ petitioni satisfacere dignabitur, tum demum libenter omnia mea servitia & officia V. M. præstabo. Peto autem ut triginta mihi dies concedat, quibus defunctum meum maritum lugere & ipsius sepulturam, ut decet, procurare possim. Deinde ut hoc facto mihi liceat in arcis vestræ turri convivium pro amicis & consanguineis parare, atque ibi finem lacrymarum & luctus cum illis facere. Annuit Rex huic mulieris petitioni, miratus cur in turri instituendum esset hoc convivium. Omnibus jam curatis, cum cæna fere peracta esset, (cui Rex ipse intererat & valde hilarem se præbebat, quoniam explendæ libidinis horam adesse credebat) ecce tibi, fœmina illa in pergula turris residet, quasi as-

pectu

pectu circumiacentium ædium & agrorum se recreatura, mox nemine animadvertente in præsentia Regis & consanguineorum suorum desuper se præcipitat, terræque allisa extinguitur, servans hac ratione pudicitiam à Rege illæsam.

Pudoris exemplum Caronius refert hoc. Puella quædam in gynæco Magnatis alicuius ad mensam ministrabat, genibus pavimento insidens, adversus Dominum, juxta gentis morem, ad infundendum vinum Domino & Dominæ. Cum autem quædam patinæ cum cibis ante Dominum positæ essent, supra quas brachium extendere debebat, cum vinum pro Domino infunderet, accidit quiddam ridiculum puellæ, nempe dum nimium extendit brachium & humeros, compressus venter flatum non sine sonitu elicit.

Hoc infortunium tanto suffudit puellam pudore, ut non sustineret surgere atque extra conclave se proripere, sed in eodem loco manens, manus & brachia intra stolam absconderit, caput verò intra sinum, atque ore ad mammam dextram applicato, tanto cum impetu dentes ei immiserit, ut inibi infixi quasi obstupecerent, & puella animam exhalaret.

Alterum pudoris exemplum est hoc. Quidam Dynasta ex tota sua provincia multas elegantis formæ puellas ad gynæcum suum elegerat: inter alias pauperis cuiusdam viduæ filiam, erga quam cum singulari afficeretur amore, in pellicum numerum assumpsit. Mater clanculum ad filiam literas mittebat, quibus extremam suam egestatem, præ qua vitam vix traheret, prolixè exposuerat. Cum autem filia in harum literarum lectione occupata esset, ingreditur ad eam Dominus, cujus adventu literas occultare festinabat. Ille hoc videns ægrè tulit, & sciscitatus ab ea, quales illæ literæ, unde & à qua persona scriptæ.

Puella præ magno pudore non poterat Domino matris paupertatem sateri: illo autem acrius & cum violentia instanti, in os intrusit epistolam tenui charta exarata, cum aliter eam defendere non sciret, & deglutire conata est: verum literis in gutture hærentibus subito percussa terrore suffocata est. Dominus Zelotypiâ & irâ furens fauces dissecari jussit, atque chartam exemit. Ex qua perfecta postquam sine crimine eam esse sensit & ab egena vidua, matre puellæ scriptam, magnopere contristabatur ita ut lacrymis non abstineret. Assumptam in ædes suas viduam liberaliter deinde aluit & honorifice semper habitam sustentavit.

CAPUT XV.

De Educatione liberorum & hereditate.

Magna cum cura parentes educant liberos suos, sed molliter, nunquam vel rarissimè saltē eos verberibus plectunt: ejulatus & clamores, si vel totā nocte dureat, pati enter ferunt, & blandis mitibūsque verbis sedare student. Neque enim ab animo suo impetrare queunt, ut illos vel plagis vel severa objurgatione castigent, cum imbecillitati rationis, cuius perfectionem ætatis incrementum afferre consuevit, delicta infirmum ascribenda esse judicent. Etsi itaque adeò placidè erga liberos se gerant, diligenti tamen informatione, & crebris admonitionibus efficiunt, ut pueri septem, octo, pluriūmve annorum, quidam maturius, alii tardius, eam modestiam & scientiam in ferme gestibūsque ostendant, quæ senili ætati sufficere possit, quamque meritò admireris.

Acutum & promptum ad liberales artes ingenium est, ita ut in epistolis Indicis sœpe hoc nomine laudentur.

Refert Arias Sanctius pag. epist. 96, duos pueros Japonicos, quorum alter undecim, alter quatuordecim natus erat annos, tam excellenti ingenio præditos fuisse, ut Christianos concionibus suis ad lacrymas usque permoverint. Et de filio regis in Bungo Almeida pag. 109 ait: Puer ille quidem, ac poenè potius infans (annum quippe agit quintum) sed in quo sensus animi æratio longè præcurrat ætatem. Atque hæc potissimum causa est, quod in nulla Orientis Insulâ Jesuitæ religionem majori cum successu introduxerint.

Septimo ætatis anno, non ante hoc tempus, liberos in scholam mittunt, hac inducti, ut aiunt, ratione, quod ante illam ætatem vix quicquam discere queant, & cætus ejusmodi puerorum potius colludentium quām condiscipulorum esse, nec paucos pertulantes & effteratos in illis reddi. Postquam igitur apta scholis ætas advenerit, paulatim à parvis ad majora ducunt, non tamen cogentes vel vi & minis ad legendi aut scribendi laborem urgentes, sed gloriæ studium & cupiditatem teneris animis implantare consueverunt, incitandis unis contra alios ad victoriā consequendam & exempla eorum proponentes, qui cum brevi tempore multum proficiunt, ad amplos propterea honores pervenerint, totāque familiam illustrārint. Qua ratione plus proficiunt parentes, quām verberibus & sœvis increpationibus effecturi fuissent. Pertinaci quippe est indole gens Japonica, nec plagas ferre potest,

potest, ita ut multi Domini à servis suis, quos absque eorum merito plagiis mulctaverant, occisi sint.

De infantium curatione ita loquitur Hagenerus: Scimus, infantes illic nunquam ad ignem soveri nec fasciis involvi aut constringi: sed post partum obstetrix brachia & pedes recens natu stringit. Deinde matres foetum recondunt in manicis stolarum. Sepe vidi, cum ixinera hic facerem rusticorum liberos planè nudos pedibus manibūsque in terra prorepentes, etiā aër valde frigidus esset. Masseus ita loquitur: In lucem editi, vel hyeme summa, protinus lavandi ad flumina deferuntur: ab ubere avulsi, venatu exercentur, & procul à matre ac nutrice locis habentur asperis, quod ita sentiant, nullā re magis infringi animos, quam molli ac blanda educatione. Grande vero illis impingit crimen idem Masseus his verbis: Prægnantes fœminæ partum haud raro medicamentis abigunt, idque Bonziis autoribus & magistris, vel etiam editos in lucem infantes, alendi rædio, inopiave, crudeliter injecto præfocant pede. Desumpsit Masseus hæc ex epistola Vilelæ, qui pag. 46 hæc habet: Ad cætera sclera, quæ multa sunt, illa etiam accedit immanitas, ut filios infantes crudeliter enecent, vel quod unum aut alterum sibolis causa satis esse, vel quod in rei familiaris angustiis eorum felicitati hoc pacto se consulere arbitrentur. Persuasum habent etiam alibi, quæ mulieres ventrem ferant, ex fœminam si peperint, ad inferna damnari: quæ re per motæ foetus in utero medicamentis interimunt. De hoc fides sit penes autores.

Ad hereditatem quod attinet, ita ferè agere solent: Quando parentes ad senectutem, filii vero ad virilem ætatem pervenerunt, abdicat pater seipsum administratione regni vel rei domesticæ curâ, filijunque natu maximum surrogat, concedens ipsi vel totani domum (neimpe si opulentí sint, aliam habitationem minorem sibi eligunt) vel majorem ædium partem cum maxima bonorum & opum portione: minorem sibi servat cum ad suam ipsius sustentationem, tum ad reliquorum liberorum, si quos habet, patrimonium, qui si nulli sint, post mortem patris ad filium illum bona redeunt.

Filiæ ex parentum opibus nihil præter vestes & ornatum mulierem accipiunt, quandoquidem dotem maritis afferre non consueverunt, ut cap. xi ii dictum.

Primogenitus itaque solus regnorum parentis, maximæque opum partis hæres est: reliqui filii accepta aliquâ portiunculâ vietum sibi querant necesse est: qui si Dynastarum vel Regum sint, plerunque à Cæsare vel aliis Dynastiis muneri alicui præficiuntur vel in nobilium & militum classem ascribuntur: multi vero Bonziorum Cœnobii includuntur.

Mortuo Cæsare, Imperium, omnésque cum eo thesauri ad primogen-

mogenitum transferuntur, reliquis filiis regna quædam; si quæ vacua fuerint, & Dynastæ donantur, vel etiam in aula Cæsaris manent atque in secundo arcis ambitu habitant. Præterea non tantum filiis & consanguineis, sed etiam Vasallis & ministris suis Cæsar Testamento aliquid legare consuevit: Cæsar Coubosamma, filius Ongoschionis, de quo cap. v. dictum, anno 1631 mortuus est cum quinquagesimum ætatis annum ageret. Ante mortem jussit ad se arcessi filium, multisque factis admonitionibus, hoc sermone finem dicendi fecit; Regnum quidem & omnes thesauri, quos possedi, tui jam sunt; hæc autem ipse tibi tradere volui: In arca hac antiquæ leges & regni annales cum multorum sapientibus dictis asservantur, & præterea pretiosissima cimelia. Accipe illa & magni æstima: mihi enim nostrisque majoribus grata & in magno semper pretio fuere.

Cimelia illa, quorū pretium ingens censetur, hæc sunt.

1. Acinas, vocatus apud illas Iojuky Massamme.
2. Alius, dictus Samoys.
3. Item aliis, minor, dictus Bongo Doyssiro.
4. Vas pro molenda Tsia, dictum Naraissito.
5. Magnus urceus pro Tsia, dictus Stengo (de Tsia vide caput xxii. i.)
6. Scriptura quædam, appellata Anckocki kindoi.

Fratri suo majori, qui erat Rex in Ouwany, Atstano & Mio, legavit hæc:

1. Picturam, appellatam Darma, quam ex aversa parte aspicere oportet.
2. Acinacem, dictum Massamme.

Fratri suo secundo, Regi in Kinocouny, hæc:

Acinacem, dictum Iesmassamme.

Picturam quandam de ranis.

Fratri tertio, Regi in Mico:

Acinacem, cui nomen Sandame.

Scripturam quandam, dictam Sinche.

Ultima sex dona, quæ fratribus suis Cæsar legavit, multò minoris sunt pretiis, quam illa sex, quæ filio suo Successori: Unumquodque tamen eorum ad minimum valere censetur mille aureos Oebanos, hoc est quadragies septies mille argenteas Taylas, quarum unam facere quinquaginta septem stuferos, supra diximus.

Pecunia, quam idem Cæsar Coubosamma consanguineis, quibusdam præcipuis Regibus & Dynastis, horum uxoribus, Dominis consorti, militibus & ministris suis largitus est, superat trecenties florrenorum, sive trecentas tonnas auri Flandricas, ut vulgo loquimur, sive triginta millions.

C A P U T

C A P U T XVI.

Narratio eorum, quæ in Cæsaris Chiongonis coniugio acciderunt.

Chiongon, cum post obitum patris anno 1631, ad regnum evehetur, nondum conjugem duxerat, eratque valde deitus amori puerorum, sive Sodomiticæ libidini, ut quidam hunc stultum & vesanum amorem appellant, quod apud Japonenses impune facere licet. Dayrus hoc ægrè ferens, duas elegantissimæ formæ puellas sanguine sibi proximo junctas, & splendidis titulis ac honoribus auctas ad Imperatorem misit hac cum petitione, ut alterutram, quæ maximè placeret, in Midai, quo nomine Imperatricem seu Augustam appellant, assumeret. Satisfecit quidem Chiongon petitioni Dayri, altera ex puellis in uxorem ducta: cæterum in consueta sua vivendi ratione & voluntate persistens, nullamque vel saltem exiguum cum nova nupta consuetudinem instituit. Quæ res etiæ magnam ægritudinem uxoris animo crearet, tamen nè Cæsaris odium incurreret, studiosè illam occultavit. Nutrix, quæ eam infantem lacte suo nutrierat, & reliquæ educationi semper assuerat, huic malo mederi cupiebant. Habentur autem Magnatum nutrices in magno honore, atque illis liberius aliquando loqui & admonere permisum est; & apud alumnos suos innuptæ, & in otio vivunt. Hæc itaque diu captatâ occasione videns aliquando Cæsarem hilari esse animo, hunc in modum præviâ decenti reverentiâ illum alloquebatur: Quomodo, obsecro, animus Vestræ Majestatis tam perversâ voluptate delectari potest, & interim pulcherrimæ puellæ oblivisci, quam certè æquum erat illo frui gaudio, ut Maj. V. prolem utero gestaret? Hac nutricis admonitione, Chiongon, qui antea latus videbatur, ita irâ excanduit, ut nullo prolatō verbo discesserit ex illo conclavi, atque in aliam quædam domum se contulerit; accersi ad se jubens Architectos & fabros, quibus præcepit, ut illico novum aliquod castellum in arcis formam cum altis mœnibus, fossis, pontibus & validis portis extruerent, intus variis splendidisque conclavebus exornatum. Operæ jam perfecto, Augustam, conjugem nempe suam, cum nutrice & toto gynæco in novas illas ædes deduci mandat, adjunctâ arcî diligentè custodiâ. Atque ita pulcherrima Imperatrix à conjuge omnino deserta est, & omni masculorum aspectu ad totum vitæ spatium privata, & fere ut captiva carceri inclusa. Ipsius Cæsaris nutrix, quæ non minus ac si mater illius esset colitur, cum propter illud factum magno afficeretur dolore,

dolore; nullisque Cæsarem nancisci liberos videret, nec tale quid sperandum dum ita se gereret, ex omnium Regum & Dynastarum gynæcis pulcherrimas conquirit virgines, atque has opportunam nacta occasionem in Cæsar's aspectum produxit. Fuit in virginum numero filia cuiusdam fabri laminarii, sive ferreorum thoracum fabri: hujus amore præter cæteras ita captus est Cæsar, ut gravidam illam redderet: quod ubi sensere nobiles & elaro sanguine natæ foeminæ, invidiâ tantum non rumpebantur indignantes, quod vilis opificis manuarii filia talis honor & gratia contigisset. Nè tamen prole istâ gauderet Cæsar, in ipso partu scutum necandum curaverunt communi consilio; quod eorum facinus aulici studiose cavent nè innotescat Cæsari, ad prævendam nimirum multorum hominum lanienam.

C A P U T XVII.

De Dairi uxoribus & ritu quem in eligenda nutrice observant.

DE fastu & inani majestate Dairi quædam capite iv attulimus; hic alia ad idem argumentum pertinentia expemus. Omnes Dynastæ, Reges, & ipse Cæsar unam tantum ducent uxorem & præter hanc pellices quot volunt: solus Dairus, excepto pellicum numero, duodecim alit uxores, quæ multis festivitatibus, solennibus ritibus & cærenoniis ad hanc dignitatem evehuntur. Prodeunte Dairo, sequuntur eum uxores, singulæ splendido vectæ pilento, in cujus parte superiori depicta conspi ciuntur insignia & characteres, quibus certâ quadam ratione honorum gradus denotantur. Palatio Dairi duæ series ædificiorum ex adverso adjunctæ sunt, in utraque serie sex sunt domus pro duodecim Dairi uxoribus, singulæ pro singulis, reliquæ pellicibus attribuuntur. In qualibet duodecim illarum domuum singulis diebus apparatur Pontificalis cœna: adfunt psaltriæ, aliæque virgines variis Instrumentis musicis ludere gnaræ, quæ juxta tertum ordinem dispositæ sedent: interim nemini cognitum est, in quam domum Dayrus sit venturus eo die. Ingresso jam illo in aliquam, illico ex reliquis undecim domibus uxores cum psaltriis totoque gynæceo ad illam advolant, & omnes dapes illuc transferuntur: nempe ut illi, quam Dairus præsentia sub dignatus est, gratulentur & in excitanda lætitia juvent. Ibi tunc natur,

natur, cantator, organis Musicis luditur, comedæ aguntur, omnia denique fiunt, quæ Dairum possint exhilarare.

Cum Dairo filius gignitur, quem paternæ Majestatis hæredem fore existimant, ad eligendam ei nutricem conqueruntur octoginta pulchræ nuper nuptæ mulieres, illustri stirpe natæ. Hæ antequam dignæ esse possint, ex quibus talis electio instituatur, multis cærenoniis & festivitatibus per duodecim uxores Dairi & harum gynæcea ad majorem dignitatem evehuntur. Sequenti die ex octoginta illis eximuntur quadraginta, reliquæ abdicantur recentis titulis, quos priori die acceperant, & donariis à Dairo ornatae. Exemptæ vero quadraginta, majoribus adhuc titulis & honoribus extolluntur, non aliter ac antea, factis festivitatibus & cærenoniis. Quo facto eliguntur ex illis decem, ex hisce tres, ex tribus demum una, repetitis ad singulas electiones solennibus ritibus & splendida pompa. Deinde post tres dies una illa, quæ ex octoginta foeminis sola est electa, summam nanciscitur dignitatem, maximisque honores non sine ingenti festivitatum celebratione: tandem ex illius mamma lac in infantis os exprimitur (quem interea quædam ex nobilissimis foeminis aluit,) & ultimò fiunt festivitates, quod digna habita sit, quæ talenti infantem, tantum non semiDeum, manibus suis exciperet & lacte suo aleret.

Quos alios obseruent ritus in nuptiis, puerperiis & annuis festis, eos prolixum nimis foret explicare: itaq; ad alia accedo.

C A P U T XVIII.

De Rigore juris & pænis maleficorum.

SEvero & summo in puniendis delictis utuntur jure, nec considerant, quod sumnum jus sit summa injuria: Nullum ferè crimen tam leve est, quod morte non luere oporteat, exceptis Regibus & Dynastis. In aleatores vel alio lusu depositâ pecunia colludentes, in eos qui coram Magistratu mentiti sunt, & in similes morte animadvertisunt: imprimitis vero in fures, si vel unius stuferi furtum commisent. Eadem mortis poena illis infligitur, qui alicui evaginato gladio minatus est: unde rixæ & gladiationes rare apud eos visuntur. Omnes Domini & Patres familiæ, ne infinitæ fortis quidem cive excepto, subditos & ministros suos pro delicti gravitate puniendi potestatem habent & formidabile vita necisque eorum arbitrium, Carcerum usus ibi nullus,

nullus; quandoquidem rei vel statim necantur vel relegantur. Pro levioribus delictis soli transgressori poena irrogatur: sed in gravioribus non ipse tantum, sed etiam pater, filii, fratres & nepotes morte puniuntur. Mater vero, sorores, filiaeque, modo non participes sceleris sint, vitam quidem servant, pro mancipiis tamen venduntur. Foemina enim suo ipsius tantum, non alterius criminis luce privatur.

Censentur autem graviora crimina, Violatio legum & edictorum Cæsaris, mala administratio munerum & Præfecturarum, opum & divitiarum Cæsaris suffractores, monetæ falsæ cœsores, incendiorum autores clancularii, constuprationes foeminarum nuptiarum &, si violentæ sint, innuptarum, &c. Horum si quid ab aliquo patratum fuit, omnes ejus proximi cognati morti adjudicantur: in ipsum vero sceleris autorem plerunque crudelius statuit exemplum: pro his quoque apud Cæsarem intercedere lege vetitum est. Annotat Caronius ejus, quod diximus, memorabile exemplum, illo istic locorum præsente factum. Nobilis aliquis regioni circa arcem Jedo à Cæsare præfector, cogebat agricolas plus tributi solvere, quam constitutum erat à Cæsare, atque hac ratione non exiguae sibi divitias comparaverat. Ceterum cum agricolæ diutius tantum onus sustinere non valerent, conquesti sunt hac de re apud supremum Magistratum. Damatus est præfector ad ventrem secundum cum tota cognatione. Erant autem ejus cognati hi, 1. Tres fratres, quorum unus ducentis quadraginta septem milliaribus à Jedo versus Occidentem aberat in regno Fingo, ubi Regi serviebat: reliqui duo erant ex militum Cæsarianorum numero. 2. Avunculus, qui adhuc longius, quam frater de quo dixi, aberat in regno Satsuma, ducentis sexaginta septem milliaribus. 3. Filii tres, quorum unus apud regem Kinocuni stipendia merebat, secundus apud Præfectum arcis Cæsarianæ in Quana, tertius natu minimus non longè ab arce Jedo habitabat, cui dives quidam mercator (Societati Indicæ Belgicæ bene notus propter institutam sibi cum eo negotiationem) filiam, unicam suam prolem dederat in uxorem. 4. Nephos ex filia, apud Regem provinciæ Maslamme vivens, milliaribus centum & decem ab urbe Jedo versus Orientem. Omnes hi consanguinei & ipse Præfector, utut à se in vicem remoti essem Eurum Zephyrumque versus, ejusdem die eadem horâ mortem obierunt, quod hoc modo procurant. Supputant primo, quot dierum spatio tabellarius ad remotissimum locum ab arce Jedo possit pervenire, nempe in hoc exemplo ad Satsuma, quo mense & mensis die, fuitque in hoc exemplo octavus dies mensis octavi. Juxta hanc supputationem tempore reliquis minus distantibus locis constituitur, & Dominis quorum provinciis degunt, mandatur, ut constituto die nempe

mensis octavi die octavo simul ac Sol coeli medium obtinuerit (itaque eadem hora nomine quidem sed non re ipsa) nominatas personas ventrem sibi secare curet & jubeat, quod mandatum accurate observatur. Mercator, cujus memini, Præfecti socer, mœrore animi est extinctus: filia ejus, nupta Præfecti filio, cum hic sibi ventrem secuisset, ipsa quoque sibi mortem consiscere conabatur: sed diligenti custodiâ impedita est quo minus id effectum daret. Certa tamen mori, & vitæ pertesa, omni cibo potuque abstinere constituit, & undecim post mariti mortem diebus animam exhalavit. Ex quo facile est colligere, quomodo cum reliquis nobilibus & horum consanguineis actum sit. Aliud severi juris exemplum adducit Caronius, ubi tamen poenæ consanguineorum non meminit. Vir quidam, qui ex contractu cum procuratoribus Cæsaris inito certum lignorum & lapidum numerum præbere tenebatur, minorem tradiderat atque inspectores & acceptatores donis corruperat. Quâ fraude palam factâ, cruci affixus est capite deorsum, pedibus sursum, ingenti cruciatu: inspectores vero ad ventrem secundum damnati sunt. Erat Vir ille multis aliis præditus animi dotibus & ideo à Confiliariis Cæsaris & Primoribus aulæ magni æstimabatur. Quanquam autem pro reis talium facinorum non licet intercedere, tamen aulici, viri amore & benevolentia ducti vitam illi à Cæsare impetrare conabantur. Verum à Cæsare, contra quam putaverant, responsum est in hunc modum: Petitionem vestram haud libens cognovi, unum tamen maximè me angit, quod ex illa vestram prudentiam & mentem imminutam esse colligere mihi videor. Hic enim injustus fraudator non morietur? unde vero vestra hæc petitio? Etiamne vestri animi donis & muneribus occupati sunt? Mutate sententiam nec justitiae quicquam detrahite. Si quis autem vestrum est, qui pecunias & divitias appetit, ille ad meos thesauros eat, & quantum volet, sumens seipsum satiet: Ite: do vobis plenam ejus faciundi potestatem. Quo responso accepto intercessores nullum verbum repuerunt, sed statim è conspectu Cæsaris se proripuerunt.

Si quis furti accusatus, at non satis convictus sit, hoc instituitur examen: Ferri frustum quadratâ formâ, cuius crassities unius digiti, longitudo quadrantis ulnæ, ignitum reddunt: deinde fervore aliquantulum imminuto donec cœruleus color igneo succedat, imponunt utrique palmæ manus ejus, de quo furti est suspicio, uno tamen vel altero chartæ folio interjecto, in quo malorum Spirituum imagines ad manum illæsam servandam depictæ sunt. Chartâ illico crematâ & ferro rejecto, si manus omnino illæsa mansit, absolvitur reus, si vero leniter saltem ambusta vel semiustulata sit, furtum commissile judicatur. Poena ejus est crux, & hunc in modum peragit: Palum arundinaceum,

ccum, cuius crassitudo brachium æquat, eligunt: huic duo ligi decussatim sive in crucis formam alligant, unum superiori, alterum inferiori parte, super quæ furem imponunt & collum quidem ad palum, brachia vero extensa ad unum transversorum ligorum, pedes ad alterum divaricatos stramineis vinculis vincunt. Hoc facto palum erigunt & hastam cui acuta ferri lamina præfixa sit, in dextrum furis latus adigunt, donec per finistrum humerum penetret, & iterum in sinistrum latus, donec per dextrum humerum. A quibus perforationibus vel statim, si cor attigerit hasta, moriuntur vel paulò post. Interdum ita tantum agunt: Furem ad palum quendam erectum constituant, cui etiam collum furis alligant fasciâ ex stramine factâ. Ab utroque latere consistunt, qui brachia furis extensa tenent alligatis ad manum ejus stramineis funibus. Tunc aliquis acinace humerum dextrum juxta collum transverberat, ita ut plaga per sinistrum latus transverse se extendat, quo ictu pectus tere totum dissecant.

In aliis flagitiis varia habent poenarum genera, quibus fontes afficiunt, inter quas sectio ventris frequentissima est & minori cum dedecore conjuncta: nec, quod sciam, huic poena apud alias gentes quicquam est simile. Conceditur hæc nobilibus tantum & militibus; aliis vero nequaquam, nisi propter alterius delicta puniantur. Secant sibi ventrem ipsi damnati in cruci plerunque formam, & effluentibus intestinis vitam deserunt: cordatores vero etiam guttur sibi præscindunt, ut eò citius moriantur.

Reges & Dynastæ in insulam deportantur, raro morte plectuntur. Quatuordecim milliaribus à provincia Jedo versus Ortum sita est in mari Insula, nomine *Faytienfima*, cuius circuitus, qui est circiter unius milliaris, multis scopulis, petris & procurrentibus promontoriis laborat, ita ut nec anchoræ jaciendæ fundum aptum præbeat, nec locum stationi navium commodum. Hanc insulam primo quidam audaces cœlo sereno & quieto mari considerunt trahentes secum funes corpori alligatos, altera extremitate in continentem relicta: quorum funium beneficio ligna & alia necessaria in Insulam attraxerunt: quæ postquam nacti sunt, extantes trabes, cum dependentibus funibus & retibus ita aptarunt promontoriis, ut naviculæ appulsæ è mari ad unius oryzæ altitudinem eleventur & suspensæ teneantur per illos funes. Etenim in salo si relinquerentur, a levi maris commotione ad scopulos illiderentur & frangerentur. Sterilis & petrosa est insula, paucis locis conseri potest: mori quædam nascuntur. In hanc deportantur Reges & Dynastæ celsæ stirpis: & ne cum iis alii ex continentí secreto conferre & consilia agitare queant, vel etiam quædam ad commodiorem vitam præbeant, constituta sunt

in singulis insulæ procurentibus angulis stations & milites. Quolibet mense, si tempestas permittat, novi milites pro excubis & simul annona pro victu advehitur: sed parce satis ac duriter aluntur, nempe paucâ oryzâ, radicibus arborum & aliis ad alimentum non idoneis rebus. Habitant in tuguriolis, quæ nec fervorem solis in æstate nec frigus hyemis arcere possunt: à bombycibus autem sericum colligere tenentur, præparare, in fila torquere & singulis annis aliquot sericei panni volumina contexere. Sed audamus jam Maffum de poenis ita loquentem: Sontibus, quolibet nomiae, haud leviora, quam exilii, aut proscriptionis, aut capitis supplicia constituta sunt: gladio fermè trucidantur improvidi, nam alioqui se haud inaltos cadere patientur (idem etiam Linschotus refert.) Quibusdam tamen locis comprehensos latrones, certoque ad ignominiam vehiculi genere per civium ora transvectos, extra urbem cruci, ab ignaris quanta signo illi veneratio debeatur, affigi mos est. In seditiones etiam, qui quidem potentes ac principes viri sunt, ex ante condicto interdum animadverti solet in hunc ferè modum: Ædes noxiæ Rex, ubi visum est, milite armato circumdat, eidemque facit liberum aut pugnæ aut mortis arbitrium. Si pugnam optarit, commissio protinus certamine, cum familia planè tota detetur, ac perpetua in omnem posteritatem notatur infamia. Si voluntariam elegerit necem, ulro sibimet ventrem alta plaga in obliquum, nonnulli etiam animosiores dupli in decussim incidunt. Ubi effluere intestina coepere, parato in idipsum famulo services amputandas præbent, & ex amicis præcipui, illatis pariter sibi manibus, supra mortuum corruere sibi gloriosum putant. Atque idem facinus in aliis quoque periculis, præsertim ubi agitur existimatio & fama, valde usitatum est, & obductis densâ caligine mentibus honestissimum ducitur. Quin ipsi interdum pueri vel à parentibus exacerbati vehementius, vel graviore aliqua indignatione concepta, genus id leti palam sibimet ipsi conscient. Forensis res nulla propemodum: non juris civilis formulæ, non responsa prudentum, non vadimonia, non carcer, non judicium testimoniæ rejectio, non citatio reorum, aut causæ dicendæ potestas. Jus totum in armis aut principum placitis: horum in proceres ducésque, ducum in cives, civium in suam cuique familiam formidabile vitæ pariter ac necis arbitrium: neque ab inferioribus acta pro potestate, à superioribus in cognitionem revocari aut rescindi consuevère.

C A P U T XIX.

De Re Militari.

Fortitudine, reisque militaris in primis armorum conficiendorum peritiam Japonenses toto Oriente celebres sunt, & omnibus populis palmam præripiunt, ita ut aliarum terrarum reges in Japonensibus militibus præcipuum exercitus robur collocaverint, deinde verò metuentes sibi ab illorum audacia & superbia abdicarint. Rex enim Siamis, ut refert Schoutenius director mercaturæ in illo regno nomine Societatis Belgicæ, anno cl^o I^o xxxvi, inter alios externos milites alebat sexcentos circiter Japonenses milites, quibus maximè confidebat, ita ut hi non tantum à Rege sed etiam finitimiis populis propter fortitudinis famam magni æstimarentur: sed ab eo, qui jam rerum potitur, rege, metuente nè illi aliquando sibi suisque regnum ipsum vindicare conarentur, partim necati partim regno ejecti sunt, in quod tamen postea connivente rege redierunt. Et sane cùm in omnibus ferè artibus & studiis ita videamus accidere, ut ibi magis florent ubi major illis honos habetur, nihil mirum est, si Japonenses ad rei militaris studium reliquis populis magis animantur, cùm ordo militaris apud illos multò sit honoratior, quam mercatorum aliorūque civium, & ferè par nobilium classi, ut capiā. viii diximus. Itaque ut a teneris annis armorum studiis aspuescant, duodecimo anno præcinguntur illis. Singulis regibus & dynastis assignatus est à Cæsare juxta redditum proportionem, quos in superioribus enumeravimus, certus militum numerus, quem postulante rerum conditione & Cæsare jubente in bellum ducere, illisq; stipendia solvere tenentur, nempe hac conditione, ut pro mille Cockiis sive decem millibus florenis vinti pedites & duos equites alant. Dynasta in Firando, cuius jam aliquoties meminimus, fruitur annuis redditibus sexaginta millium Cockiorum, & ideo mille ducentos pedites & centum vinti equites secundum dictam conditionem alere obligatus est, quod etiam egregiè præstat, non numeratis in hoc numero servis, mancipijs, & aliis ad expeditionem necessariis hominibus.

Institutâ itaque comparatione inter pecunijæ summam quam à Cæsare inter regni proceres distributam esse capite xi dictum est, & inter numerum militum pro mille Cockiis, colligitur, quod ad mandatum Cæsaris exercitus peditum 368000 & equitum 38000 à Regibus & Dynastis colligatur. Præter hos alit Cæsar ad 100000 pedites & 20000 equites, qui partim in arcibus ad præsi-

REGNI JAPONIÆ. 57

præsidium & regni defensionem collocati sunt, partim prætorianas cohortes ad Cæsaris tutelam constituunt. Insuper plerique proceres, in primis illi qui divites possident provincias, stipendiarios duplo plures vel etiam triplo aluat, quam tenentur, cum in hoc unico potentiam & magnificentiam ostentent, certantes inter se invicem, ut tam in aula Cæsaris quam in oboris bellorum tumultibus ita se gerant, ut inde nomini fama & gloria accedat.

Equites omnes cataphracti sunt: pedites verò nulla membra muniunt pæterquam caput casside. Arma equitum sunt sclopeta, hastæ breves, sagitta & arcus, acinas. Sagittarios peritissimos esse scribit Xaves, p. 236. Peditum singuli acinaces duos gestant: præter hos sclopetum, hastas longas & quas vocant Nanguinas, Masseus Nanguinatam interpretatur pilum auro argentóve bracteatum, falce præfixum. Porro cum metallis abundet regio, & præcipue quidem argento & ferro, magnopere dediti sunt arti metallicæ, purgando & liquando ferro ad gladios & pugiones conficiendos tam egregiæ chalybis temperaturæ, ut ferrum nostrum acie propemodum illæsæ diffindat. Sane pugione Japonico, qui Prætori Belgarum, Cunio, in India donatus erat, bovem medium uno iictu dissecutum esse à fide dignis accepi. Mira quoque dignitas, omni ornato remoto, nudis gladiorum laminis certorum opificum, prorsus uti nonnullæ aureorum quinque circiter millibus æstimentur. Toto Oriente arma Japonica valde expetuntur, sed hodie à Cæsare regno ea exportare vetitum est. Etenim, non ita pridem duo Chinenses, pater & filius, cruci affixi sunt, ideo quod pater arma abducere attentâset, & quinque Japonenses, qui illa vendiderant Chinensibus, insciî in quem usum, capite mulctati sunt. Exteris tamen gladios & pugiones loco splendidorum donariorum mittere solent, ut supra de Cunio diximus, & in epistolis Indicis pag. 125 Jesuita Gagus ita loquitur: Bungensium rex proficisci mihi (id fuit anno M, D, lx.) dedit eleganti opere gladium, aureaque vaginâ in anguis formam elaborata, mittendum ad regem Lusitaniae, quem esse tenerâ adhuc ætate cognoverat, itemque præclarum Indiæ Pro regi pugionem, quæ omnia in Japonem idcirco remisimus, quod tempestatis injuria nitorem suum atque decorum amiserant.

Neque vero Japonica gens adeo à lucro aliena est, ut non contra Cæsaris interdictum clanculum magnum armorum numerum audeat in alias terras transvehere: unde multis Indiæ locis ea reperiuntur. Tormenta quoque bellica parare, iisque uti norunt, non tamen è dexteritate, quâ Europæi. Exercitum per quinarius numerum distinguunt: Quinque militibus unus præfet primipilus, cuius dicto audientes esse debent, qui peculiaria arma non gestat nec illos præcedit sed à latere incedit. Quini tales

les principiis subsunt unū Praefecto, ita ut quinque manipuli turmam aliquam constituant. Duæ autem turmæ cohortem faciunt quinquaginta militum. Quinque cohortes Ducem habent supremum: & horum quini rursus superiorem atque ita porro ascendendo per quinariū numerum. Equites quidem in exercitu habent, sed eos pugnare equo insidentes non esse morem, legitur in epistolis p. 243. ideo equo descendentes illos pugnare. Nec silentio prætereundum, quod etiam ex illis, qui sacra profitentur & Bonzii dicuntur, quidam certus ordo est, qui simul bellicia studia tractant, ita ut militiæ Rhodiæ quandam speciem referant. Hos aliquando prælio cum regibus decertâsse & superiores extitisse narrant epistolæ Indicæ, et si deinde à Nubunanga anno M D LXX circiter in multis provinciis devicti & coenobia illorum spoliata & combusta sunt, qua de re citatæ epistolæ consuluntur.

Ad acuendos & incitandos ad rem bellicam adolescentum animos, singulis annis mense Martio ludos celebri cum certamine agunt detestabiles. Conveniunt post meridiem quibuscumque libuerit, armati, deorumque suorum imaginibus picti humeros. Tum duas in acies divisi, pueri primùm lapidibus, deinde cæteri sagittis & sclopis, mox contis, postremò gladiis dimicant, qua ex pugna semper ferè nonnulli desiderantur, complures vulnerati discedunt, omnibus qui in eo bello quempiam occiderint, aut plagiis affecerint, impunitate proposita. Omnino bellicosa est natione: hoc ipsorum studium, hæc est oblectatio. In bello militibus pro numero & dignitate capitum, quæ ex hostibus caesa reulerint, præmia persolvuntur: cumque ipsi alias nationes fortitudine superent, nil mirum si nunquam externo usi sunt milite. Videas ibi pueros duodecim annorum in humeris sclopum gestantes, virili plane & militari habitu.

Quanquam hoc belli studium in illis non modo non laudare sed maximopere vituperare & detestari debeamus, cum in propria viscera & erga se invicem sœviant. Nunquam enim ab aliis gentibus bello petiti sunt, nec ipsi aliis bellum intulerunt, excepto eo quod ad Coream debellandam supra diximus à Tayckone suscepimus. Olim multi Japonenses in variis Indiæ regnis militabant: & anno M D xv, Belgis quoque in expugnando castello quosdam insulæ Bandæ affuerunt, ubi etiam, primi in moenia hostium penetrarunt & vexilla sua defixerunt.

C A P U T

C A P U T X X.

De Virtutibus & vitiis Moralibus Japonensium.

VItiorum moralium in omnibus terræ regnis largam licet metere segetem: sed Virtutum veram & genuinam Ideam, qualem vel Ethici mentis rationisque argumentationibus untenentes vel Theologi revelatae innitentes doctrinæ requirunt, frustra quæsieris: speciem tantum & umbras quasdam Virtutum, sectantur mortales & admirantur, atque hisce augustum splendidumque Virtutis nomen attribuunt, sibi ipsis vel aliis adulantes. Unde fit, ut in explicandis diversarum gentium moribus Scriptores Virtutis nomen non in angusta illa Philosophorum & Theologorum significatione sed de qualicunque laudabili actione, Virtutum seminibus aut pedissequis accipient, quod & nos hoc capite imitamur.

Et primo quidem laudem meretur insignis parentum Japonenum in educandis liberis cura, in primis quod teneris animis gloriarum honorisque studium instillare non cessant. Hinc enim consequuntur, ut inde à pueritia in omnibus suis actionibus solam laudem & gloriam tanquam scopum ad quem colliment, præfigant; id eoque talia agant iisque se dent studiis, per quæ voti sui compotes reddantur. Pericula nulla reformidant, exiguo fortitudinis & audacia discrimine: mortem contemnunt, ac saepe ipsi sibi per indignationem eam consciscunt: mendacia cane pejus & angue vitant, quandoquidem magnam huic vitio turpitudinem inesse vident: Coeli, injuriæ, pluvias, æstum & frigus, vitæque molestias, famem, sitim, vigilias, labores incredibili animi facilitate & contra Orientalium populorum consuetudinem tolerant: voluptatibus, si licet, fruuntur: si non, absque ulla animi ægritudine carere possunt: divitiis non inhiant, quia parvo contenti ut essent didicerunt. Magnus quoque honos fidelitatis, ita ut alter alterum calumniari & famæ illius detrahere, inter honestiores in primis, raro deprehendatur. Maximè vero fidem hanc suam demonstrant cum ab aliquo rogati sunt (quod ex consuetudine ejus gentis saepe fit) hisce verbis: Tuere vitam meam & honestam famam. Sic enim supplices ad extremum vitæ spiritum defendere amittuntur, nec vel uxorum suarum liberumque amore vel periculorum ipsiusque mortis metu à proposito se abduci patiuntur. Adeò præ nominis fama & prædicatione vitam contemnere confuerunt. Nec minus eorum fidelitatem licet perspicere eo casu, quando ex multis, quorum communis consilio & ope scelus aliquod patratum fuit, unus tantum

tum reliquis adhuc delitescentibus , captivus detinetur. Etenim sævissimos torturæ cruciatus potius sufferunt , quam ut criminis socios prodant, præsertim si ita pacti sint inter se invicem, cum maximo sibi fore dedecori existiment , si sodalium ignominia aut mortis autores fuisse dicantur. In persecutio nē tamen Christianorum, immanitas torturæ vicit omnium ferè constantiam, ut libro de Religione, capite de Relig. Christ. extirp. dicemus.

Verecundiam quoque & pudorem studiose observant in consanguineorum conventibus, singulis sibi benè carentibus , nè vel libidinosos sermones vel de rebus ad matrimonium spectantibus verba instituat. Quod si imprudentia alicujus tale quid acciderit, juniores statim loco surgent & ex cætu secedent.

Liberi parentes suos magnâ habent reverentia & omnium officiorum genere prosequuntur, certo persuasi , quod Dii immortales, ut aiunt, contrarium agentes haud passuri sint impunè abire. Quolibet mense, die eo , quo parentes mortem obierunt, nihil comedunt eorum, quæ animata fuerunt, fructibus tantum telluris vicitant. Nec silentio prætereunda est eximia Magnatum prudentia in eo, quod unum vel alterum in aula sua alunt, cuius officium sit, Domini actiones observare & de illis, quæ male vel imprudenter eum fecisse viderit, liberè monere. De gratitudine erga benè meritos ita loquitur Balthasar Gagus Jesuita in epist. libr. 111. Sunt Japonii acceptorum beneficiorum adeò memores gratique, ut si modo ipsorum eleemosynas accepimus, quod illi sibi honoris loco ducunt (non enim dico si eos inviserimus, aut alia quapiam re adjuverimus) eorum primarii ad agendas nobis gratias domum usque contendant: quod ipsum interdum etiam ethnici eorum cognati faciunt: quod si qui nobis (ut fit) in domesticis ministeriis operam dederint, illam dun taxat mercedem requirunt, ut sub vesperam hilari vultu dicamus: Goxinio de Oniar, h. e. laborâltis egregié. Id si reticeatur, valde mœsti afflictique discedunt. Furto adeò detestantur, ut ex omnibus gentibus neque Christianorum, neque barbarorum ullam se nationem à furto magis alienam vidisse referat Xaverius p. 191.

De misericordia eorum erga afflictos Ludovicus Frojus ita scripsit in epistola, quam ex Japonia misit ad socios, cum per aliquot tempus ibi ægrotus decubuisse: Ut est gens ad omnem humanitatem ac misericordiam prona , quanquam in summis rei familiaris angustiis , alii ad me contegendum suismet vestimentis exuere sese, alii in cibum duas trésve cochleas, alii virides ceras, alii denique sylvestre allium afferre ; aliquot etiam Firandenses & Facatenses Christiani, qui in eam insulam anno priore migraverant, cocta nobis cibaria septem octóve dies è suis domibus misere. Rarò eos jurare notat Xaverius, id tamen quan-

do faciunt, per Solem jurare. Idem quoque hanc eis laudem largitur, quod si contra rationem offendas ea, quæ peccant, facile assentiantur, & imperio pareant rationes.

Sed audiamus jam Maffeum, qui reliqua, quæ dicenda essent, ita descripsit : In universum, acuta, sagax, ac bene à natura informata gens est: judicio, docilitate, memoria non Eois modo, sed etiam Hesperiis nationibus antecellit, quæ res in rusticis ac pueris liquidò cernitur : Illi urbanos pæne mores , vegetum ingenium ac minimè agrestem indolem præ se ferunt: hi celerius multò, quam Europæi nostri latinas & literas & artes arripiunt. Paupertas dedecori aut probro est nulli: vix etiam in multis agnoscitur, adeò familiarem dispensant rem , & pro sua tenuitate concinni ac nitentes incedunt. Maledicta , furta , impiam temerè jurandi consuetudinem, aleæ genus omne aversantur. Famæ, gloriæque avidissimi, dignitatis verò supra quam credi possit, retinentes æquè summi atque infimi sunt: nullam non modo contumeliaz speciem, sed nè dictum quidem paulò asperius ferunt. Ergo reverentur inter se , præcipue nobiles , certantque officiis & honore verborum. Quin ipsi rerum vilissimarum artifices , quique se in diem locant, comiter appellandi , si eorum uti velis industria: nam alioquin irritantur , ac spreto lucello , cœptum opus abjiciunt. Constantiam ac decorum ita custodiunt vulgo , ut vel ab imminente ruina sensim ac sine trepidatione ulla recedant, caventque diligenter, nè quid abjectum aut timidum vel in dictis vel in factis appareat, atque ob idipsum animi perturbationes, ægritudines, impetus, in speciem cohibere atque iræ præsertim notas omnes obruere vel potius in contrarium flectere didicerunt. Tum enim & gradus lentior & frons hilarius est: Intemperantiam verò linguae maximo animo minime dignam putant: ac proinde vociferationes ac jurgia , neque inter populares in publico , neque domi inter maritum, uxorémque, parentes, ac liberos, herum ac famulas audiuntur: Sedate graviorque, quod agendum est agitur: si quid odiosius accidit , internuntii commeant: quin etiam inter ipsas noxiornum poenas convitia removentur & verborum acerbitas. Provocationes autem ac rixæ, contra quam apud nos, admodum raræ: ferociam minâisque in tempora belli reservant. Jam verò (quæ haud postrema amicitiaz lex est) mutuis in congressibus domestica incommoda , necessitates, ærumnas, amicis haud temerè impertiunt ; tristitiam & curas egregie condunt . neque alienam pacem & jucunditatem ineptis querimoniis & supervacaneo mœrore sollicitant: ab aliis interrogati, rem totam vel residentes elevant, vel certè modicâ significatione perstringunt: denique asperis in rebus planè incredibilem animi æquitatem ostendunt, ac veluti in gradu perstant, & quicquid evenit , sine gemitu excipiunt: credo ipsâ

ipsa varietate casuum edocti & inconstantiâ rerum humanarum, quæ in iis regionibus vel maximè viget; Infimè fortis homines ad regiam celsitudinem evehi repente, alios è summo fastigio ad ima præcipitari, pœnè quotidianum est: hac illi vicissitudine scilicet eruditæ letissima quæque sic optant, ut interim difficultata cogitent. Firmus autem est animus, ad quæ diu meditatus ac præparatus accedit. Neque proiectæ solum ætatis eæ laudes: in puerorum consuetudine, atque adeo in ipsis lusibus & remissione animorum senilis prope maturitas & moderatio quædam elucet: Imò Linschotus ait; vulgus & agricultas eâ esse humanitate & urbane, quasi in aulis educati esent.

De vitiis Japonenium idem Maffeus, postquam falsam eorum religionem notasset, ita loquitur: Indè paulatim Japonii extinxerunt, quæ Deus indiderat, veritatis igniculis, conscientiæ magisterium exuent, effractisque pudicitæ claustris, in choreas, ludos, compotationes ac Venerem intemperanter effusi, coeci cum coecis ducibus viatores ad sempiternum interitum præcipiti celeritate festinant. Idem per causam retinendæ gravitatis atque constançie, dum animalium sensa motuque à primis annis obtegunt ac celare adsuescant, facili deflexu prudentia ad astutiam, calliditatem perfidiâmq[ue] degenerant. Indè pravum simulandi studium & fallendi certamen: uti quemque pessimè oderunt, ita familiarissimis oculis intuentur: bona fides & aperta simplicitas, & candor illuditur. Accedit fævitia morum & immanitas dira: levissimis de causis, & quidem nec opinantes & aversos invadunt homines, unóque aut altero acuti ac ponderosi acinacis iictu conficiunt: dein composito ac seculo vultu, quasi facinus ad se nullâ ratione pertineat, ferrum vaginæ reddunt. Insuper nocti occasionem ex tuto, gladii acumen in capite humerisve infontis cuiuspiam interdum experiri non dubitant. In bello, captis per vim oppidis aut pagis certum exxiuum, cuncta ferro flammisque vastantur: non ætati, non sexui parcitur: in prælio victi, si palantes effugiant, nullo discrimine cives hostesve sint, spoliorum causâ plerunque ab agrestibus opprimuntur. Alienæ, ut diximus, furto subducere dedignantur, cædibus rapinisque grassari, non item terra latronibus, mare piratis vehementer infestum: Prægnantes foeminæ, partum haud raro medicamentis abigunt, idque Bonziis auctoribus & magistris: vel etiam editos in lucem infantes,

(* *Fides sit p[ro]nes auctorem.*) alendi tædio inopiâve crudeliter injecto præfocant pede *. Egentibus ægrotis aut peregrinis publica & gratuita diversoria nulla: sub dio pernoctant, miserâmq[ue] trahentes animam, deserti ab hominibus vel ipsa die sanantur, vel extinti morbo abjiciuntur in sterquilinium. Eo majore cum approbatione Japonii Christianam caritatem erga destitutos & calamitosos itemque sepulturæ ac funerum instituta mirantur.

mirantur. Sontibus quolibet nomine haud leuiora quam exilio aut proscriptionis aut capitis supplicia constituta sunt: gladio fermè trucidantur improvidi, &c. Ipsi autem dynastæ regesve quanquam ab externo ac mercenario milite planè imparati, atque ob idipsum indigenis vehementer obnoxii, tamen barbaro quodam fastu ut de Sina retulimus, adorari colique se volunt: stipati armatorum caterva difficiles aditus, delicatas præbent aures, adductoque vultu nutibus fermè vel scriptis agunt, sermone gravatè consociant: nil opis habent in populi caritate repositum: regit omnia metus: huic adjunctum est odium: indè crebræ & occultæ conspirationes ac seditiones erumpunt, excusisque rectore sceptrum ad alios aliisque in summa rerum omnium perturbatione transfertur. His adde, quod etsi Deos immortales agnoscant, nunquam tamen vel ante cibum assumentum vel post assumptum preces faciant. Claudat vitiorum cumulum, quod à Maffeo omissum miror, grande & stultissimum crimen, Pæderotia, sive vitium Sodomiticum, quâ gens Japonia, ut etiam Chinenses & omnes ferè Indi adeo delectantur, ut pro criminè non habeant, sed licitum fit atque ab ipsis Sacerdotibus, qui fœminis abstinere coguntur propter religionem, peragatur. Xaverius p. 191 de illo ita: Bonzii (sacerdotes & monachi Japonenses) nefario libidinis generi usque eò dediti sunt, ut etiam palam id profiteantur. Jamque adeo communis omnium virorum pariter ac mulierum hæc pestis est, ut tam tetri flagiti odium atque horrorem ipsa jam sustulerit consuetudo. In hoc nos nefarium scelus sæpe invehimus, cumque ostendimus quam scelerati sint, Deoque invisi, qui tantam impuritatem suscipiant; secundis quidem cæterorum auribus atque annis utimur: sed Bonzii ipsi à nobis admoniti, ut à tam fœda libidine sibi temperent, risu ac facetiis objecta elevare conantur. Et quamvis graviter objurantur, quasi callo ad turpitudinem obducto, etiam ad pudorem obduruerunt. Hæc Xaverius. Porro præter Japonios & Chinenses etiam Siameses & Peguenses isto vitio olim laborârunt, sed à quadam Regina abolitum est. Cum enim illa videret isto stulto amore procreationem hominum impediri, neque subditos suos ab illo apertâ ratione posset abducere, aitu id effecit. Edictum netipe promulgavit, ut omnes masculi aureum vel argenteum globum intercutem & carnem glandis interponerent.

CAPUT XXI.

De illis, quæ opinione honesta vel turpia censentur.

Multa in vita communi pro indecoris, multa pro decoris habentur, quorum pleraque Ethici docent esse indifferenta, magisque opinione gentium quam juris & æqui principiis inniti ostendunt. Unde non immerito honesta & turpia distinguuntur in duo genera, quorum alterum contineat ea, quæ re vera talia sunt, & virtutum vitiorumque nominibus appellantur, alterum ea quæ ex consuetudine talia censentur, & apud diversos populos diversa ratione observantur.

De priori genere dictum est præced. cap. itaque de posteriori jam dicendum nobis erit. In hisce verò magnopere à nobis discrepant, quod ideo minus mirum videri debet, cum in opposito fere nobis orbe agant, remotissimique sint omnium Orientalium populorum, et si antipodes nostri non sint. Tenent apud nos dextram honoratores, sinistram minus honorati: in Japonia contra, hi dextram, illi sinistram. Nigrum nos colorem tristitiae luctus que signum habemus, illi album: Versicolorem vestem in viris nos ridemus, illi sine dedecore usurpant: nos pallio induimus exeentes domo, illudque deponimus redeentes: illi contra, deponunt exeentes; induuntur, dum in domibus agunt: Sequimur nos funus, istic cognati & amici præcedunt. Scamnis vel sedilibus insidentes capimus cibum, illi genibus pavimento, (quod apud magnates storeis nitilis, & culcitræ in modum tumentibus sit instratum) innixi & cruribus insidentes: in lecto dormimus, culcitræ, pulvinaribus, tegminibus corpora nostra foventes; illi, in pavimento super storeas, quas dixi, capitique lapidem supponunt. Magnam nos dotem a sponsarum parentibus petimus, & variis interdum artibus extorquemus: illi, si quid ultro missum sit, remittunt. Saginamus nos boves, sues, oves; illi nullum horum animalium alunt, ferinâ utuntur si carnem appetant. Familiae nomen nos postponimus proprio; illi præponunt, rationem suæ consuetudinis reddentes non ineptam, nimirum quod majores parentesque idem familie nomen gestaverint adeoque priorem jure præponi posteriori, honoratus minus honorato. Neque assumptitia nomina eadem per totam vitam servant, sed pro ratione ætatis mutant ita, ut pueritiae nomen abjiciant, ubi ad virilem pervenire ætatem, aliudque huic ætati magis conveniens assumant, quod deinde ubi senectutem attigerunt, deponunt, alio assumpto. Multa quoque horum nominum plurimis constant syllabis, ut Sadosienminamo Tonofindelanda, nomen Cæ saris,

REGNI JAPONIAE. 65

saris, qui anno xxvi hujus seculi regnavit. Potentum carpenta apud nos trahunt equi; apud Japonios tauris hic labor cum equis est communis. In tractandis hospitibus & amicis sordidi non sunt. Etenim sive nobilium sive ignobilium ædes accedas, humanis & blandis verbis rogant, ut ingredi, sessumque capere digneris: ap ponunt mox tabacum & Tsiam (de qua postea.) Quod si gratior Domino sit hominis adventus vel amicus sit, vinum quoque propinan, quod in patra uni pedi innitente affertur: nec licet tunc hospiti discedere vino non libato.

Cum servi dominis sacramento fidelitatis se obstringunt, ante idolum stantes sanguinem mittunt è brachio, descriptisque ex eo literis quibusdam, quæ legi non posseunt, & ad extremum syn graphi concrematæ, hero se fidem servaturos esse, jurejurando promittunt.

Si amicos quosdam peregrè adventare cognoverint, obviam illis procedunt cum multis accensis facibus: Ter inclinato ad terram usque capite advenientes excipiunt. Mos quoque est Japoniorum, cum aliquam pecuniam sumimam principibus largiuntur, chirographum illis offerre, ex quo ipsi deinde per suos domesticos eam pecuniam exigant. Anno ineunte, à die nono Lunæ adusque vigesimum, regni proceres & Bonziorum principes ad regem quisque suum salutandum non sine donis accedunt. Ea sunt fere magnus chartæ numerus, aurea flabella, arma af fabrè facta, & alia ejusmodi. Atque hæc consuetudo jam indè ab antiquis ducta temporibus præcipue in aula Cæsaris retinetur, atque idem honos uxori quoque ipius, matrique tribuitur. Hos autem salutatores Cæsar longo cubiculorum ordine admittit quidem in penetralia, operis eximii peristromatis aureis exornata, sed ad eorum verba salutationesque (ea loci & personæ maiestas est) nihil omnino respondet: insignibus tantum Bonziis id habet honoris, ut flabellum quod tenet manibus, paululum inclinet; atque in hunc modum primæ nobilitatis viri inducuntur: nam inferiorum ordinum hominibus, quanquam locupletissimis & pretiosissima dona ferentibus nullo pacto ad eum aditus est. Somno gens non indulget nimis, & Magnates magnam noctis partem vigilare consueverunt. Porro huc referenda videntur ea quæ Maffens narrat ita loquens: Credi vix potest, quantopere a nostro victus eorum & cultus abhorreat. In olfactu, suffitus nostros minimè ferunt, alia quædam odoramenta succidunt.

Iu gustu nostras illi epulas; nos vicissim illorum condimenta aspernamur. Aquam nos gelidam; iti calefactani æstate pariter ac hyeme potant. In auditu symphoniam eorum nostræ apes omnino refugunt. Nobis, dentium in candore; illis, quod mirere, in ipsa nigritate decor est: itaque atro quodam eos pigmento identidem inficiunt. Fœminas in publico viri & cognati

præcedunt, famuli subsequuntur. Equum nos ab læva; illi ab dextra descendunt. Inter salutandum nos caput; illi pèrlevi crepidarum seu sandaliorum excussu pedes aperiunt. Advenient amico nos adsurgimus; illi subsidunt. Nobis gemmæ, illis fistilia vel ferrea vasa in honore sunt. Jam in curationibus nos dulcia & bene cocta, illi salsa & acria & cruda ægrotis apponunt: nos pullos & altilia, illi pisces atque conchylia: pharmacis nos fermè oolidis & amaris, illi perquam suavibus & odoratis utuntur: nos crebrò sanguinem, illi nunquam eliciunt. Neque verò cur ita faciant, probabilem plerunque rationem afferre non possunt, ut illa: fidere, quam attolli, majoris venerationis indicium: cujuslibet usus vasa, quam nullius commodi lapides, quantavis mercede sapientius emi: frigidâ comprimi fibras, irritatissim & pectoris vitia: restinguî nativos ignes, fervidâ foveri calorem insitum, laxari meatus, eoque facilius levari sitim; ægro quas appetat natura potionis, non quas horreat, propinari: sanguini, quippe vehiculo vitæ parci oportere defendunt: & alioqui, non minus illis Europæi. quam Europæis illi ridiculi sunt: ac si quando per munditarum aut elegantiæ contentionem ut fit, cum illic agatur, par pari nobis egregie referunt.

C A P U T . XXII.

De Urbibus, adificiis & suppellectile.

EX ligno constant pleræque Japonensium ædes, cuius causam quidam esse volunt terræ motus, quibus Insulæ hæ valde sint obnoxiae, cum tamen loca paludosa & medio mari sita ab hoc periculo tuta esse putentur. Quidam lapideis ab imo adificiis utuntur, elegantiâ atque arte visendis: magnifica quoque tempa extruunt, & sacerdotum utriusque sexus ampla & sumptuosa coenobia. Abundat tellus ubique lignis & quidem variis, ita ut ad ignem domesticum & luculentum focum incolis nunquam desit materia, nec opus habeant matrem suam cremare. Elegantia quoque ad ædificiorum exornationem lignorum genera habent undulata, magnam copiam subflavi & albi, ex quos fiunt in instrumentis musicis clavicymbala, ut vocant: lignum Camphoræ ita magnum ut alteres quidam sint longi decem pedes, lati quatuor. Evenit autem non raro propter illam lignam ædificiorum materiam, ut unius vel alterius incuria integræ urbes in cinerem redigantur & frequentia sint incendia, quorum

in epistolis Jesuitarum Indicis saepius fit mentio: habent autem singulæ domus unum conclave opere cæmentitio constructum & à reliqua domo separatum, quod tutum sit à flammarum violentiâ; in hoc res suas pretiosiores reponunt & asservant cistis inclusas, quandoquidem malunt eas in seculo esse quam cum periculo incendi domum latera exornare. Ad quatuor pedum altitudinem afferibus sunt exstructi parietes ædium, quibus superinjectæ sunt densæ stœreæ eleganter inter se aptateæ, atque omnia ita facta ut sibi invicem respondeant: tecta ex lignis ita sectis, ut nostras tegulas lateresve referant, conficiunt. Calcem ignorant, sed pro ea adhibent fabulum. Contignatione, quam unicam habent pleræque ædes, utuntur ad suppellectilem minoris pretii reponendam: cubicula & conclavia, in quibus de die agunt & nocte cubant, in domus pavimento sunt, atque ea nitida & munda servant, in primis primaria, in qua amicos introducunt aliisque visitatores, stœreas instar culcitrarum tumentes & nitidas (aurea peristromata Cæsaræ sunt) insternunt conclavium pavimento, super quas cruribus resident, ubi cibum capiunt, nec cubicula separata obtinent, sed super easdem stœreas somnum capiunt, lapidem vel tigillum capitii supponentes. Ingressuri cubicula hæc, nè stœreas conspurcent, præ foribus sandalia (nam hisce pro calceis utuntur) deponunt, eaque resumunt ubi egrediuntur. Nobilium ædes in duas partes divisæ sunt, dextram & sinistram: ab uno introitus latere uxor habitat, inclusa toto vitæ tempore istic commoratur, nec in aliorum adspectum se profert: ab altero latere maritus tenet conclavia tam ad negotia sua, quam pro recipiendis hospitibus parata.

Parietes conclave omnes ferè picturis exornant, vel chartam deauratam illis applicant, idque tam aptè, ut chartaceus tantum paries esse videri possit, in extremitatibus firmant eam subscudibus nigro vernice illitis. Illud verò egregium, quod aliquot vicina proœstria & conclavia, talibus distingunt intermediiis parietibus vel potius fenestrâ aurata chartâ obductis, quæ trusatiles sint & singulari ratione pro libitu aperiri, claudi, aut removeri possint, ut ita amplam quandam aulam ex illis minoribus conclavebus, quando usus id postulat, possint efficere & rursus ex uno magno multa minora.

In postica domo magnatum & divitum Xystus est, ex qua per aliquot gradus descenditur in hortum arboribus semper virentibus confitum & petris quibusdam collibusque ad naturæ imitationem non sine subtili arte conspicuum, atque in hunc ex atrio prospectus datur, cum ei è regione obversus sit.

Ex superiori atrii contignatione dependet picta Tabula, ante quam conspiciuntur flores in urceo defixi, quandoquidem hi plenumque per totum annum isthic haberi possunt. Janus longè

aliâ, atque apud Europæos formâ esse, legitur in epist. p. 208. In separato quodam conclavi gazam suam reponere incolas, supra diximus: ea autem non sunt geminæ vel multitudo nummorum sed supellex, vasa necessaria ad conficiendum & asservandum in primis pulverem Tsia pro potu, de quo dicemus in capite de Cibo & Potu. Magnus quoque honos & dignitas picturis, Scripturis, incurvis gladiis & similibus quarum rerum præstantiâ alter alterum superare certant.

In hoc conclave nemo admittitur exceptis proximis consanguineis vel amicis valde familiaribus aut si quando hospitibus hunc honorem gazam suam inspiciendi habere volunt. Ritus enim est Japoniorum, inquit Frojus in epistolis, qui quidem nobilitate ac divitiis præstant, hospitibus paulò honoratioribus in digressu benevolentiae causa præbere spectanda quæ apud sese pretiosissima sunt: id est, omne instrumentum necessarium ad portionem herbæ cujusdam in pulverem redactæ, nempe ollam ferream, fæginum poculum, cochlearia, infundibulum eluendo figlino, tripodem, fæculum denique potionis calefaciendæ: quæ sericis tegumentis involuta conduntur arculis pretiosis. Meaci quidam fuit, qui vasculum fætile ad urceoli magnitudinem in usum ejus potionis, aureorum triginta millibus æstimaverit, et si multi essent, qui decem millibus cum eo libenter decidissent.

Hic plurima vasa quatuor, quinque, &c. millibus æstimantur. Similia exempla Linschotius refert, atque instrumenta hæc non operis novitate sed vetustate æstimari & celebritate antiqui aliquujus artificis. Scalas ex cedro construunt admirabili quodam artificio elaboratas, easdemque ita purgant mundâsque esse curant, ut nunquam calcatae pedibus esse videantur.

De Cubi palatio idem Frojus itâ loquitur: Aedes quasdam Cubi primùm adivimus, eximio quodam artificio atque elegantia exstructas, oblectationis & animi causâ: Nihil ego nec in Europa, nec in tota India tale conspexi. Iis horti subjecti sunt cum aliis arboribus ignotis in orbe nostro, tum cedro, cupresso, pinus, malis medicis consiti: quæ omnes arbores, varias in figuræ artificè manu coactæ, cameras, tintinnabula, turres, aliisque id genus plurima referunt. Jam lilii, cyani, rosæ, florumque tanta est copia, tanta colorum odorumque varietas, non solum ut ad venas ac peregrinos, verum etiam domesticos ipsos atque cultores cum voluptate atque admiratione retineant: neque horti modò, sed urbs ipsa quoque pulcherrima: viæ latæ ac directæ, foribus arcium instar (quæ res furtæ & latrocinia maximè prohibet) occluduntur: in iis variarum mercium institores, opifices, ac sellularii, cùm alia in usus deliciâsque mortalium, tum præfertim aurea flabella conficiunt, sericâmque cujuslibet operis trinam exercent. Deinde sumptuosissimas præfecti Meacensis nu-

per instauratas aedes adivimus, quibus item horti conjuncti, non modo arborum multitudine, artificiosisque figuris delectant oculos, verum etiam aquæ limpidissimæ copia, quæ a novem circiter passuum millibus excisâ rupe, regali sumptu perducta, lacum in hortis mediis efficit, in quo complures variæ magnitudinis insulæ, ligneis lapideisque perviæ pontibus, usquequaque lætissimis arboribus opacantur.

Meacum metropolis totius regni pro situ loci bisariam est divisâ, sic ut altera pars Meaci, superior, altera inferior nominetur: superiorum olim celeberrimam totius Japonis præcipua nobilitas incolebat, sed à Nubunanga tyranno combusta est anno c. 1570, eoque incendio aedes novices mille circiter conflagrârunt: deinde tamen denuo ædificari cœpta est, sed non eo splendore, quo fuerat prior. Meaci longitudo olim dicitur fuisse passuum unius & viginti millium, noveaque latitudo. Montes editissimi eam cingunt: Jesuitæ scribunt eam centum millia ædium habere & olim c. 150 millia habuisse, idque ex murorum vastissimo circuitu probari. Exitus ex urbe spatiandi causâ lætissimos esse scribunt epistol. p. 209. Celebris quoque olim Japoniæ fuit urbs Amangutum, cui anno c. 1545 a rebellibus & conjuratis contra Regem sævum adeò incendium illatum est, ut unius horæ spatio universam flamma absumperit, cum amplius decem millibus familiarum incoleretur; nec ab illo incendio templum, quod neophyti Christiani considerant, fuit immune. Non malò post cum ex incendio restauratum esset Amangutum, denuo ab aliis dirutum est: sed nihilominus cives urbem denuò ædificârunt.

Nayam urbem & arcem itâ describit Almeida: Nayam veni primum, neophyti ad præfectum in arcem deduxere munitissimam, aspectuque pulcherrimam. Collis erat præcelsus è lapide molliori. Eum collem ante quinquennium Dajondonus fabris adhibitis ad justam planitiem itâ depresso, ut eadem opera ex ipsomet lapide solidæ turres & propugnacula exsisterent. In medio autem complures effudit puteos negotio facili, quippe cum ad tertium statim cubitum aquarium copia scaturiret. Tum illicè popularibus suis ditissimum quemque ac fidelissimum evocavit: solum in areas descriptum illis ædificandi, causa distribuit. Illi porro certatim aedes exstruxere magnificentissimas, cognitionibus multis & more nostro specularibus fenestrâs instruætas. Illud verò præcipue delectat intuentum oculos, quod non privata solum ædificia, sed moenia etiam ipsa turrésque tecto-rio sunt inductæ levissimo prorsus ac nitidissimo. Nihil in orbe nostro tale conspexi. Calcem quippe non arenâ commista, sed candidissimo quodam chartæ genere subigunt. Nam quid ego de tegulis dicam, quæ duorum digitorum crassitudine nigrantes &

varietate figurarum oculos retinent, & in quingentesimum annum atque eò amplius durare dicuntur? Oeci porro & cubicula cedarina sunt gratissimi odoris, pergulae omnes ex una duntaxat ejusdem materiæ tabula: parietes pretiosè cælati priscis annalium monumentis: quod inter effigies est spatii, totum id inauratum est: columnæ cum epistylis ac spiris ex aurichalco item inauratae: cælatura magnifica, quibus è mediis eminent ejusdem operis rosæ peramplæ, visuque pulcherrimæ. Jam verò lacunaria tum aliis commentis opificum, quæ dicendo assequi nequeo, admirabilia, tum verò tabularum juncturis adeò artificiose latenterbus, ut quamvis defixos fallant obtutus. Sed mihi inter cætera mirabile visum est cubiculum ulnaruin quaqua versus quatuor & semis, è ligno croceo undatim crispante, venustatis eximiae, ita polito ac splendido, ut cum speculorum fulgore certet: quamquam ego dotem eam ipsius materiæ fuisse minimè credidi, quod ad eum modum sine aliquo artis lenocinio radiare vix posset. Huic ædium dignitati horum respondet amoenitas, quibus dici nihil puto posse jucundius, &c. Almeida in epist. p. 103 ita fatur: Arx in itinere accurrit Hexandoni viri principis, edito in monte posita, omnium, quas in vita videre me memini, & loco & opere munitissima: quippe quam decem ferè propugnacula cingunt, inter se non nisi ponte subductili pervia, magnóque intervallo distantia, fossis ita profundis, ut despicientium oculis caliginem offundant, perpetuo, ut aiunt, silice ferramentis exciso.

Sacajum urbs est copiosissima ac munitissima, ab occidente alluitur mari ab aliis partibus profundissimâ angitur fossâ, & aquis plena perpetuis. Atque etiam intestino omni tumultu ac seditionibus vacant civitates Japoniæ, nec rixæ audiuntur, fermè. Cum enim urbis viæ suas quæque portas & custodes habeant, statimque, cum opus sit, occludantur; nullus noxiis ad fugam exitus patet, sed statim comprehensi ad tribunalia pertrahuntur. Nangasacque urbs hodie celebris est propter negotiationes Belgorum. Piongon olim celebris fuit Urbs, octodecim à Meaco miliaribus. Sed in bellis Nubunangæ valde devastata: deinde anno M. D. xcvi ejus dimidia pars terræ motu absorpta fuit, reliquum urbis denique crematum est.

Multas alias urbes magnitudine & ædificiorum elegantia conspicuas habet Japonia, quarum in epistolis Jesuitarum mentio sit: sed hæc nostræ descriptioni sufficiunt.

C A P U T

C A P U T XXIII.

De Cibo & Potu Japonenfum.

Quemadmodum in omnibus Orientis regionibus & insulis, ita quoque in Japonia communem omnibus cibum præbet oryzza, quæ hic mense Septembri metitur: in quibusdam locis triticum etiam invenitur, ejusque messis Maio mense instituitur: Siliginem, hordeumque ignorant. Oryzam autem Japonia largitur totius Orientis præstantissimam, colore candido & in magna copia, ita ut naves multas peregrinorum è onerent, cum ab aliis populis avidè expetatur: huic in pretio succedit ea quæ rubri est coloris: nigricans verò, cujus magna copia est in regionis Siam & Pegu, infimo censetur loco. Communè quoque Japoniis est cum tota India & adjacentibus regionibus, quod molentrinis, quibus grana in farinam rediguntur, omnino careant, adeoque panes, ut Europæorum fert consuetudo, non conficiant. Coquunt autem Oryzam in aqua, & quidem vel ad mollitiem tantum granorum, eaque rursus exsiccant, & vocant Oryzam siccum, vel in pultem seu offam crassam. Ultramque loco nostri panis comedunt: Prior autem confection, ubi grana integra manent, minus salubris est inassuetis, ita ut non paucis, qui ex his regionibus in Indiam navigant, ventris dolores & tumores creare soleat, propterea, quod fermentatio exigua fiat eo modo, cujus vicem in altera præparatione longa coctio & ebullitio præstat.

Torretur quoque Oryza, postquam cocta est, & in bolos compingitur. Scribit enim Maffeus, Xaverium Jesuitam iter facientem in Japonia habuisse in manicis, seinitostæ oryzæ bolos, eosque vulgo vocari *avela*. Molæ tamen manuariæ in Indiam à Lusitanis introductæ jam magno reperiuntur numero, & quia mancipiorum suppetit multitudo, fit ut mediocri pretio panes, quales nostri sunt, ibi quoque emi possint.

Sed & peculiaria incolarum instrumenta, quibus incolæ ad separandos folliculos à granis & sinuul lenem emollitionem utuntur, vocant Belgæ molas, cum tamen nostris molis nequaquam similes sint.

Herbis & pomis plurimi vicitant, & quidem ita prospera valitudine ad multam usque senectutem agunt, ut facile appareat, quam paucis sit eadem quæ alioquin est insatiabilis, natura nostra contenta: Imò triticum, pisces, poma, cæterosque arborum fructus pro delicatis cibis numerant, ut Xaverius refert.

Ex animantium genere boves, vaccas, oves, porcum, gallinas, F 4 anse-